80 cent

SINCERA
EXPOSITIO
SUSCEPTÆ ANNO HOC MDCCXIX. A QVIBUSDAM EXERCITUS REGNI POLONICI COPIIS IN BONIS CIVITATIS GEDANENSIS PATRIMONIALIBUS EXECUTIONIS, HUIC PRÆTEXTARUM CAUSARUM, ET QVÆ AD 9^{am} USQVE APRILIS EJUSDEM ANNI SUBSECUTA SUNT.

GEDANI,
Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,
SENATUS ET ATHENÆI TYPORGAPHI.

COeperat die 15ta. Martii anni præsentis 1719. terminus, à quo intra tres hebdomadas vigore Comitiorum Generalium Varsaviensium Anni 1717. militi Polono, pro securitate Regni contra intestinos quosvis & exteros insultus tuendâ assumto, stipendia solvenda sunt. Horum Repartitio ita quidem constituta erat, ut ipso statim initio per catastrum, seu, ut vocant, Tariffam percepti in quolibet Polonici Regni & M. D. L. Districtu Anno 1676. subsidii personalis fundamenti loco substratam, non tantùm Provinciæ Prussiæ subsidii hujusce Tariffâ destitutæ, universim respectu aliorum, nimium onus nongentorum viginti novem supra centum quinquaginta quinque millium florenorum Monetæ Pruthenicæ in singula semestria impositum, sed & inprimis Civitas Gedanensis, cui, justâ eandem inter cæteraq; Provinciæ Illius membra proportione omnino neglectâ, Summa quartam dictarum pecuniarum partem excedens assignata erat, plurimum gravata esset. Adhæc qvum integra Re- & Subrepartitio neque in Ordinario Generali Terrarum Prussiæ Conventu neq; salutatâ hoc nomine Civitate aut prævio ejusdem consensu, sed tantùm à paucis Provinciæ Con-statibus esset condita, Civitas quod ad eandem absolute stringi non posset, gravissimas allegare poterat rationes, cùm ex Juribus communibus Provinciæ, tum ex propriis prærogativis petitas. Neq; etiam effluxerat sexennium illud, intra quod vigore Laudi Terrarum Prussiæ Anni 1713. mensis Maji diei 22, juxta ac specialis conditionis, quâ tanta Contributionum vis tunc temporis steterat, novis Con-

tributionibus locus minime erat relinquendus. Attamen Civitas Gedanensis intuitu salutaris, qui universo negotio præfixus credi debuit, Scopi, & ex singulari amore, quo in publica magis quàm in domestica constanter fertur commoda, quantumvis diuturni belli mole, funestisque admodum ejusdem fructibus attritissima, & hac vice ad fati acerbitatem silere, & quemadmodum Illustrissimo cuidam Regni & Provinciæ Prussiæ Senatori in colloquiis super hac re cum Civitate institutis dicere placuit, *calicem hunc*, amarissimum licet, *bibere* maluit, ac omnium unica esse, quæ humeros quantumvis infirmissimos tanto oneri subtraheret. Proinde statim supradicto An. 1717. ante primum terminum solutionis certis Legionibus Polonicis sibi assignatis faciendæ declarabat, se Summam triginta & novem millium florenorum monetæ Pruthenicæ, quovis semestri exsoluturam. Cui etiam hactenus, prout quietationes desuper acceptæ testantur, stato tempore pleinssimè satisfecit.

In iisdem occupata erat ea Civitas, incidente termino supra memorato mensis Martii hujus anni, adeò, ut ante elapsum dictum trium hebdomadarum spatium portio quædam pecuniarum illarum pro Legione tormentaria Illustrissimi & Excellentissimi Domini Palatini Culmensis jam esset soluta, atque reliqua in paratis haberentur, iis, qui pecunias hasce accipere debebant, extradenda. Fovebat quippe Civitas fiduciam, hac sua promptitudine effectum iri, ut dicti Illustrissimi Domini Palatini erga se eò magis firmaretur affectus, atq; à copiis, ad quarum stipendia tantam ipsamet conferebat opem, certius, quàm hactenus factum erat, vel etiam præteritorum temporum

hanc

ratio admiserat, præsidium expectari posset. Verùm hanc fiduciam in præsenti pariter ac olim fefellisse, Civitas experiri debuit, summo cum stupore percipere coacta, binas Cohortes earundem Legionum Polonicarum, quarum Stipendiis accurata Solutione juvandis adeò sollicitam impenderat operam, secunda Aprilis Anni hujus die, quæ erat Dominica Palmarum, Bona Gedanensia Patrimonialia, nulla prorsus significatione præmissâ, ingressas esse, ibidemq; hospitia sibi constituisse.

Seqventi Die Centurio quidam Copiarum Exercitus Regni Dn. Trustedt Nobilissimum Dominum Præ-Consulem Præsidem Civitatis accedens indicabat, ad supra dicti Illustrissimi Excellentissimiq; Domini Palatini Culmensis mandatum hæc suscepta fuisse, eo fine, ut, quemadmodum tum asserebat, vigore Decreti in Tribunali Radomiensi contra Gedanensem Civitatem lati, Accisæ Anni 1712, Trimestria, vel ut loqvi amant, *Quartualia Krasnostavensia*, & Prætensiones Jablonovianæ, adhibita Executione militari conqvirerentur, nisi Civitas indilatam horum omnium appromitteret solutionem. Neq; vero universæ, neq; cujuslibet distinctæ prætensionis certam definire sciebat Summam, ad illa simpliciter sese referens, quæ allegato Decreto, quod tamen non nisi binas posteriores istarum prætensionum respicit, continerentur. Idem Centurio comminando addebat, nisi prompta requisitioni responderet satisfactio, binis Cohortibus in Civitatis territorio exsistentibus, alias binas, relicto Thorunio versùs

Gedanum iter dirigentes, junctum, atque ductu Domini Baronis à Rietesel, Colonelli, integra Legione auctum iri.

Nullas quidem Magistratus Civitatis Gedanensis prætermisit remonstrationes, quibus Centurio dictus commoveretur, ut binas illas, quibus præerat, Cohortes sine mora ex Territorio Civitatis retraheret, atque ea vitaret, quæ ex naturali & inevitabili defensione à Civitate contra invasionem istiusmodi inopinatam, quæ nullo Juris colore coram neutrarum partium addictis palliaretur, suscipiendâ consequi possent, & de quorum eventu illi, qui occasionem huic rei dedissent, responsuri forent. Ipse vero constanter allegato mandato, cujus limites excedere non posset, excitatam sollicitudinem adaugere studebat, asserendo, ad alias quoque Exercitus Regni copias mandata expedita esse, breviq́ue plures quam ter mille armatos in Territorium Gedanense adventuros.

Nihilo secius Civitas id agere pergebat, ut stipendia Legionibus Polonicis, quæ eadem accipere sveverant, solveret atq; parata servaret, tametsi plures ex iis copias addidissent Civitati jam negotium facessentes. Non poterant tamen Civitatis Ordines pro officio suo & Juris jurandi religione seria non circumspicere media, tum demum adhibenda, cum neq; preces neq; amica monita proficerent, ne scilicet Hebdomas Passioni Servatoris Sanctissimi recolendæ Sacra alius cujusdam domesticæ ærumnæ consideratione interpellaretur, atque Paschalis Festi tranquillitas in periculum adduceretur. Et certè nec à privato quopiam Jure postulari posset, ut iniquiter intra propriam domum turbatus, Stoica quadam indolentia merum ageret spectatorem. Ordines verò Civi-

tatis

tatis ad talia consilia suscipienda eò magis incitabantur, cùm perciperent, Dominum Colonellum à Rietesel cum quatuor novis Cohortibus in Territorium Gedanense advenisse, easdemq; pro lubitu repartitum esse. Antequam tamen ad extrema accederetur, experiri studebant, an major in Ipso esset authoritas & propensio justissimis Civitatis remonstrationibus deferendi. Proinde Civitas, ablegato ad Eundem Secretario maximoperè urgebat, ut Bona Patrimonialia, sic satis misera & exhausta, Copiis suis quantocyùs liberaret, humanissimâ declaratione adjectâ, se statim post festos dies paratam fore ad conferendum super adductis prætensionibus cum Illustrissimo Excellentissimoq; Domino Palatino Culmensi, atque ad negotium hocce ad Juris & Æquitatis normam amicè componendum. Sed Dominus Colonellus à Rietesel parem cum Domino Centurione Trustedt excusationem allegans, ad monita de necessitate defensionis, quæ Civitati, utut maximè invitæ, tempore hoc, si unquam aliud inopportuno, imposita foret, respondebat, se quibuscunque modis mansionem suam tuiturum.

Die Aprilis 7ma quæ erat *Parasceves*, Centurio Polonus Dominus Zlotnicki Gedanum veniebat, literas afferens ab Illustrissimo Excellentissimoqne Domino Palatino Culmensi, die 4ta Mensis ejusdem Lepincii scriptas, quæ inter alia referebant, Centurioni dicto mentem Illustrissimæ Suæ Excellentiæ plenissimè expositam, eundemq; omnimodâ potestate munitum esse, prædictæ Illustrissimæ Excellentiæ nomine cum Civitate super prætensionibus, quarum causa Exsecutio in bonis ejusdem Patrimonialibus suscepta esset, transigendi, modò Civitas ipsa promptitudine sua occurreret, atque gravio-

 ra,

ra, quæ aliàs contra eandem instarent, averteret. Ille desideria sua unà cum exemplis quibusdam authenticis Mandatorum, Decretique Radomiensis, pro Justificatione eorundem productis, in scripto per singula puncta exhibebat: Quæ omnia eo tendebant, ut vigore modò allegati Decreti Civitas Gedanensis

1. *Cùm post Comitia Generalia Lublinensia vi Repartitionis & Liquidationis Lucensis & Leopoliensis Tribunalis, in Congressu Novensi, mediante Conventione quatuor centena florenorum Millia Provinciæ Prussiæ imposita fuerint, assignatam pro Legionibus Polonicis sibi, Civitati, Summam* 150000. *fl. solveret,*

2. *Prætensioni Dominorum Jablonoviorum vigore Impositionis Polonicæ (ut verba habent) & Assignationis, Summâ* 100000. *fl. satisfaceret,*

3. *Cùm Anno.* 1713. *communis Contributio & Accisa, quæ intra Sexennium curreret, indicta, atque pro Saxonicis & Exercitûs Regni Copiis conjunctim* 480000. *flor. assignata, à Civitate Gedanensi verò tantummodo defuncto Domino Bliwernitz, Commissario Bellico, pro Legionibus Saxonicis* 137143. *flor. & Legionibus Exercitûs Regni* 262857. *florenorum soluta sint, indeque Civitas Illustrissimorum & Excellentissimorum Dominorum Supremi Exercituum Regni Ducis & Palatini Culmensis Legionibus adhuc* 80000. *fl. debeat, eadem pariter ac*

4. *Ex Assignatione Trimestrium vulgò Quartualium Krasnostaviensium provenientem*

Sum-

Summam 75000. flor. *adeoque in universum* quinque supra quatuor centena florenorum Pruthenicorum Millia *solveret, atque cathegoricè declararet, quando integram Summam exhibitura esset, nam impetrandæ dilationis nullam spem esse reliquam.*

Non intermisit Civitatis Gedanensis Magistratus easdem apud Centurionem hunc interponere remonstrationes & sollicitationes, quibus permovere studuerat antememoratos Polonicarum Copiarum Præfectos, ut eductis ex territorio Copiis, isti post festos usque dies spatium indulgerent. Neque sine ratione credebatur fore, ut, quandoquidem Centurio ille vigore allatarum literarum omnimodam ab Illustrissimo Excellentissimoque Domino Palatino Culmensi acceperat potestatem, negotium jam felicius succederet: Verùm exitus huic expectationi minus quàm anteriori experientiæ respondit.

Cùm genuina hujus rei indoles multis nondum satis sit perspecta, atq; alios præconceptæ opiniones impedire hactenùs potuerint, quo minùs eam rectè expenderint, ad accuratius examen eadem revocari utique meretur, antequam in recensione eorum, quæ subsecuta sunt, pergatur.

Integra quadruplicis hujus prætensionis moles unico, uti suprà notatum est, *Decretorum Radomiensis Tribunalis* fundamento superstruitur. Civitas Gedanensis Illustrissimum hocce Tribunal, singulaq; Ejusdem membra omni, qua par est, veneratione prosequitur; sed *Domini Judicisque Sui* locum ei ut tribuat, nec antiquissima Jura, nec Jurisjurandi religio & conscientia permit-

tunt. Neque Civitati præjudicio esse potest, quòd omnes Regni Polonici incolæ Eidem Tribunali se subjiciant, atque Ordo Equestris Pruthenicus Decreta Ejusdem recipiat. Illorum enim longè alia ratio est ac Civitatis. Licuisset Ordini Equestri Prussiæ sartas tectas habere Majorum suorum immunitates & prærogativas, iisq; etiamnum æquè ac dictarum Terrarum Civitates, quæ easdem sibi constanter servârunt, gaudere, nisi prætulisset consilium sponte suâ iisdem renunciandi, Tribunalia Regni, quibus primùm subjectus non erat, agnoscendi, atq; Jura Provinciæ suæ planè singularia, quæ ut reliqua perpetuum salva & integra, cùm ad Regni Poloniæ corpus acederet, sibi Prussia universa stipulata fuerat, Juribus Polonicis, multâ & notabili ex parte dissonis, commiscendi. In succincta illâ publicorum Instrumentorum *Immunitatem Civitatum Prussiæ à Jurisdictione Judiciorum Tribunalitiorum Regni Poloniæ &c.* asserentium Collectione, quæ superiore anno typis excusa est, ejusq; Præfatione, expositum fuit, quâ ratione *Ordo Equestris* Pruthenicus *Judiciis Tribunalitiis* obnoxius factus sit. Ubi scilicet septimo demum post fundata illa Judicia anno, Ordini huic Equestri Tribunal Polonicum amplecti libuit, quantumvis Divus Rex Stephanus Bathoreus atq; Respublica libero Ejusdem arbitrio reliquisset, an Immunitatibus suis avitis inhærere & â solâ Regiâ Majestate, an verò â Tribunali recens fundato judicari mallet: adeò, ut cum ultimum jam elegisset, post biennium adhuc per Constitutionem Comitialem Eidem regressus ad pristina Jura & Judicia reservatus fuerit. In eodem Scripto quoq; recensitum fuit, *Civitates Prussiæ* exemplum hocce minimè secutas, sed Juribus & Immunita-

tibus

tibus suis antiquis immotas instítisse, præter *Serenissimos Poloniæ Reges* nullum in hoc Orbe *Dominum* aut *Judicem*, præter Horum Regia, ut vocantur, *Relationum & Assessorialia Judicia*, alia nulla agnoscentes. Quæ prærogativa ipsis, ex quo Equestris Ordo Pruthenicus, prouti dictum, hac in parte ab iisdem secesserat, atque ad Tribunalia Regni se receperat, tot Regiis Declarationibus & Decretis, juxta ac universæ Povinciæ Prussiæ in Conventibus Generalibus sancitis Laudis, Instructionibus, Responsis, Attestationibus, aliisq; Instrumentis publicis, conservata fuit & asserta. Quæ cum supra allegato loco uberius exhibeantur, hic recensere superfluum foret. Imo in novissimis Grodnensibus Comitiis Generalibus Anni 1718. plures Illustrissimi Regni Proceres & inprimis Illustrissimus Excellentissimusque Dominus *Supremus Regni Cancellarius*, Legum & Jurium, uti scientissimus, ita vi sublimis Sui Muneris Custos celeberrimus, Voce publica monuere, *quod Civitates Prussiæ ad Tribunalia & Castra trahi minimè conveniret.* Unde liquidissimè patebit omnibus, quam invalidi planè Juris adversus Civitatem Gedanensem prætextus sit, qui ex alio quàm Tribunalitii Polonici Decreti fonte hauriri non potuit. De modo autem, quo contra eandem processit Radomiense Tribunal, hoc tantum memorasse liceat, quod nunquam audita fuerit Civitas, quodque, certissimo indicio, parcè satis causam, cujus rea facta est, examinatam esse, Ipsius Jablonovianæ Prætensionis essentia adeò fuerit ignorata, ut, cum illa postulationem certi *Subsidii Personalis* à Civitate recepti respiciat, ejus loco de *Accisis*, *quas*

 Civi-

Civitas intra tempus Cursus earum in usus suos convertisset, actio formata sit & sententia. Æquitas omnis & æquanimitas, quam Conclusio hujusce Decreti Civitati testatur, hæc est, quod contravenire & reniti ausura pro *Rebelli* ac *infami* reputari debeat. Certè acerbiùs & abjectius vilissimus quisque pagus, nullis in Rempublicam inque Status & Incolas Ejusdem meritis notus, an tractari possit, dubium est. Hæc agendi ratio si sufficerit, brevi Civitatem Gedanensem omnibus, quæ habet, sub specie rei judicatæ exutam videbimus, nec erit jam ulterius in eâdem cuipiam secura rerum suarum possessio. Verum adhuc plenius elucescet Jurium, ad quæ hinc Gedanensis Civitas, inde Pars adversa provocat, discrimen, cum enumeratæ supra quatuor illæ prætensiones propiori examini sigillatim submittentur.

Prima Prætensio Summam quandam respicit, quam â Civitate vigore Lucensium, Leopoliensium & Novensium Repartitionum, Liquidationum & Conventionum Militi Regni deberi asseritur.

Inficiandum non est, ab Anno 1703. quo Comitia Regni Generalia Lublinensia celebrata fuerunt, plures in Provincia Prussia & extra Eam â quibusdam Ejusdem Membris sine communi Statuum scitu, consensu, Instructione & Plenipotentia, aliis quoque ex Regno Poloniæ subinde in Societatem adscitis, institutos fuisse privatos congressus, in quibus, ut postmodum patuit, modo hæc modo illa Repartitio & Liquidatio formata, atque deinceps universæ Provinciæ imposita fuit. Tales vero agendi modos nullâ prorsus obligatione stringere posse eos, qui cum cæteris eodem suffragii jure gau-

gaudentes istis minimè consensere, quilibet Cardinalium hujus Provinciæ Jurium non omnino rudis fatebitur. Si Provincia eadem contributiones à Polona Republica in Comitiis Regni Generalibus sancitas, antequam in ordinario Generali Conventu consensus Ejusdem accessit, solvere tenuit, uti Jus talia renuendi ipsi competere sæpius luculentissimè demonstratum fuit; potiori certè ratione recusabit, quæ modo præfato à *Paucis solùm Suorum Fratrum & Sociorum ex propria & indebitè arrogatâ authoritate* conclusa fuêre. Quæ Ejus hac de re sit Sententia, omnium optimè constabit sicubi communia publicaque Illius Lauda particularibus atque secretò formatis Conclusis opponere lubeat. Priora enim posterioribus præferenda esse, quilibet cordatus Provinciæ Pruthenæ Civis agnoscet. Inter plura verò alia Documenta, Lauda Conventuum Generalium Anno 1712. die 5ta Aprilis Graudenti & Anno 1713. die 22da Maji Mariæburgi celebratorum, in calce Scripti hujus sub No. 1. 2. & 3. addita, (quorum ut novissimorum recentior memoria erit) testantur sufficientissimè, quanto zelo Provincia Prussia Contributiones sine universorum Statuum & Ordinum Scitu & Consensu Terris atque Civitatibus impositas passimque exactas improbaverit, atque contra easdem indemnitati suæ consuluerit, adeò ut Summarum hac ratione extortarum restitutionem sibi reservaret, atque universis Illustrissimis atq; Excellentissimis Dominis Palatinis Suis seriò committeret, ut *illos qui Assignationum à quopiam alio, quam ab* Illustrissimo Domino Thesaurario Terrarum Prussiæ, *vel ab Illo quoque de Contri-*

No. 1. 2. 3.

butionibus aliis, præterquam in Conventu Generali laudatis, atque jam collectis extraditarum Exſecutionem præſumpſerint, motâ etiam Nobilitate Pruthenicâ coercerent atque reprimerent. Verba Laudorum horum tam perſpicua ſunt, ut neque ulteriori indigeant explicatione, neque ulli effugio locum relinquant. An vero Repartitiones & Asſignationes extra Prusſiam in Lucenſi & Leopolienſi Tribunalibus factæ pro talibus, quales, ut in Prusſia valeant, in allegatis Laudis requiruntur, cenſendæ ſint, illi ipſi reſpondeant, qui meliora adductis qua primum hoce punctum contra Civitatem in medium afferre neſciverunt. Conventio Novenſis, intra Prusſiam licet forte concluſa, ad quam iſti provocant, cum iisdem defectibus, quos cum cœteris communes habet, laborat, tum propius inſpecto Laudo Anni 1712. ſub No. 2. allegato, protinus patebit quo loco itidem ab univerſis Provinciæ Prusſiæ Statibus fuerit habita.

Quæcunque tandem horum omnium eſſe poſſet ratio, expreſſa tamen litera Provincialis Laudi Anni
No. 4. 1713. ſub No. 4. Gedanenſi Civitati adeò favet, ut ratione omnium & ſingularum Contributionum, quæ usque ad modò dictum annum ab aliis in Provincia exactæ & ſolutæ ſunt, contra Civitatem nulla prorſus formari amplius queat Prætenſio. De eo qui dubitat, ſequentia tantum Laudi allegati verba reſpiciat: *Civitatem Gedanenſem de omnibus omnino prætenſionibus, quæ ratione pecuniarum, ab aliis Provinciæ incolis, pro Exercitûs Regni Stipendiis, ſive prænumerationis, ſive alio quocunque titulo vel modo,* Hucusquè *ſolutarum, adverſus ipſam excogitari poſſent, pleniſſimè liberamus & quietamus.* Quodſi igitur Civitas Gedanenſis ab omni-

omnibus Contributionibus, quæ ad diem usque vigesimam secundam Maij Anni 1713. intuitu Stipendiorum Militi Regni debitorum exactæ & ex Provincia collectæ fuere, libera prorsus pronunciata est, quemadmodum ex modo dicto Laudo patet: Quodsi Summa 150000. florenorum, quæ adhuc à Civitate solvenda prætenditur, ut pars Summæ 400000. florenorum, in Tribunalibus & Congressibus primo hoc puncto nominatis, Provinciæ Prussiæ impositæ, considerari debet, uti idem hocce punctum prætendit: Quodsi denique hæc Tribunalia atque hi Congressus Annum 1713um præcesserunt, prout neminem nisi in historia Terrarum harum plane hospitem fugere potest: necessariò sequitur, Apocham, seu Quietantiam adeò absolutam, ad hanc quoque 150000. florenorum Summam extendi debere. Neque verò arbitrandum est, Civitati inde aliquid comodi accessisse, vel insigne quoddam exhibitum fuisse beneficium. Ingressus quippe prædicti Laudi sub No. 4. non obscurè innuit, quomodo res hæc fuerit confecta, satisque apparet, Civitati, utut æquissimas tunc temporis allegasset rationes, nihil remissum fuisse, sed eandem, pro evitando majori in futurum præjudicio, ne scilicet præteritarum illegitimarum & ex parte violentarum exactionum iniret compensationem, pretiosius multo ac quidem illa 150000. florenorum prætensio inferre poterat, onus nomine *Doni Gratuiti* in se suscepisse. Etenim præter Octoginta septem Accisas, in quas singulæ Provinciæ Prutheñæ Civitates, adeoque & Gedanensis Civitas consenserant, hæc ipsa Centum & Octodecim Accisas sibi imponi passa fuit. Quarum Accisarum proventus multo majorem pecuniæ vim efficit, ac prætensionis istius su-

pra memoratæ Summa. Eo verò tempore, quo inter Status reliquos atq; Civitatem tot tamq; diuturnæ instituebantur deliberationes, antequam inter utramque partem conveniret, omnes hæ Contributiones, imò plures, quæ à Civitate eo prætextu, quod aliis in Provinciâ eadem ferendæ fuissent, postulabantur, & ore & Scriptis expressæ fuerant, earumque exactus satis calculus subductus fuit, ut proinde utrique parti plenissimè constiterit, super quo tractatum & conventum esset.

Quodsi Exercitui Regni vel aliqua tantùm Juris plura postulandi relicta fuisset Species, eandem ii, qui cum Ejusdem, tum propria intuitu Legionum Regni sibi concreditarum Commoda procurantes, Consultationibus hisce adfuerunt, allegare minimè intermisissent. Neq; hi Apocham, vel ut vocant, Quietationem adeò generalem, omnes & singulas prætensiones abolentem formari, Sigilloque Terrarnm Prusiæ muniri permisissent. Quorum omnium Illustrissimo & Excellentissimo Domino Palatino Culmensi recens adhuc sine dubio erit memoria, qui iisdem collationibus præfatis pariter interfuit, atque tum ut Generalis Locum tenens solutionem Stipendiorum Militis Regni gloriosa cum sollicitudine promovit. Quod denique Ipsi Illustrissimo & Excellentissimo Domino Supremo Exercituum Regni Duci, per ea omnia, quæ in Conventu hoc Generali Mariæburgensi Anni 1713. in rem Militis Regni conclusa sunt, & inprimis, quæ Civitas Gedanensis ad eadem contulit, fuerit satisfactum, ex literis Illustrissimæ Ejusdem Excellentiæ Olosiscii die 21. Junii ejusdem Anni 1713. Gedanum expeditis haud obscure intelli-

telligitur. Exquibus ſequentia tantum verba ex Gallico Idiomate translata apponere lubet: *Perquam gratum*, inquit, *mihi eſt cognoſcere, Generalem Pruſſiæ Conventum eo ſucceſſu finitum, ut Exercitûs Regni Commodis inſimul fuerit proſpectum, Civitatemque Gedanenſem ex parte ſua eidem negotio ſollicitam impendiſſe operam. Fidem do lubens me circumſpecturum quamvis occaſionem quâ Civitatem Veſtram devincire, Ejusdemque commoda tueri potero, atque omnium, quæ ad illam ſpectant, decentem rationem habiturum, ut bonâ iſtâ conſenſioue cuncti fruantur. &c. &c.* Quod

2. *Ad Prætenſionem Illuſtrisſimorum Dominorum Jablonoviorum*, quæ jam examinanda venit, attinet, exactius antea reſcire juvaret, an, quod hactenus univerſim fere obtendi voluit, Subſidium Perſonale intelligant, Anno 1700. die 7ma Decembris in Conventu Generali Mariæburgenſi ab Ordine Equeſtri, à Majoribus verò Civitatibus, quarum Internuntii illud tantùm ad referendum Principalibus ſuis ſumpſerant, poſt annum circiter ex liberâ voluntate receptum: An vero prætenſio hæcce adhuc aliud quidpiam involvat. Quod nomine Illuſtrisſimi Excellentisſimique Domini Palatini Culmenſis per Dn. Centurionem Zlotnicki Civitati Gedanenſi exhibitum fuit Scriptum, ſimpliciter ad Polonicam, ut eam appellat, Impoſitionem & Asſignationem ſeſe refert. Si hoc ipſo nihil aliud quàm Radomienſis Tribunalis Decreta intelliguntur, binæ erunt Asſignationes à Theſauro Pruſſiæ in uſum piè defuncti Illuſtrisſimi Excellentisſimique Domini Jablonovii, Caſtellani Cracovienſis ad Civitatem Gedanenſem directæ,

quarum altera undecimâ Junii die, Anno 1701. data 240000. floren. monetæ Pruthenicæ, altera die septima Martii Anni 1702. data 31000. monetæ ejusdem floren. continet. In priori triplicis Subsidii Personalis fit mentio, eâ tamen ratione, ut si illud non sufficeret, eidem Contributionum in supra dicto Conventu Generali Anni 1700. Laudatarum subveniret Cursus. Posterior vero in universum ad omnia in Conventu Eodem Generali conclusarum Contributionum genera extenditur. Ut Illustrissimis Dominis Prætendentibus demonstretur, Civitati Gedanensi nunquam fuisse vel etiamnum esse animum injuriam Iisdem, quæcunque fuerit, inferendi, cuncta quæ hoc in negotio consideranda veniunt, particulatim pertractare non pigebit.

In sæpius allegato Conventu Generali Anno 1700. die 7ma Decembris Maræburgi habito *triplex*, vel si Agrariæ ex Bonis Terrestribus & Accisæ ex Civitatibus, quælibet separatim, spectentur, *quadruplex Contributio* sancita erat, *Personale* scilicet *Subsidium*, *Contributio*, ut vocatur, *Tonnaria*, *Agrariæ* & *Accisæ*. Priores binæ â Civitatum Majorum Internuntiis, quod ratione ejusmodi extraordinariarum Contributionum Instructione atque Plenipotentia essent destituti, receptæ non fuerant, tantumque ad referendum sumptæ. Declaraverant autem 59. Accisas in vicem 31. Agrariarum ex 46. aliis Agrariis ab Ordine Equestri constitutis, atque ratione Accisarum, quæ in reliquarum 15. Agrariarum requirebantur vicem, sese pariter ad Principales suos retulerant. Proinde salvis Provinciæ Pruthenicæ Juribus, ab Illustrissimo Ejusdem Domino Thesaurario nec in ullam aliam Contributionem, quàm quæ à Statibus & Ordinibus

ejus

ejus Provinciæ constituta fuerat, Assignationes extradi poterant, nec Generales quædam in omnes tres contribuendi modos ad eos dirigi, qui hactenus non nisi in unum vel alterum illorum consenserant. Minimum Assignationes tales vim nullam habebant obligandi eos, ad quos erant destinatæ, quoad horum Consensus defectum priorem non supplêsset.

Superius jam memoratum fuit, Gedanensem Civitatem exeunte demum Anno 1701. Subsidium Personale declaravisse, idque eâ factum fuerat conditione, ut illud quidem colligi, nullatenus tamen extradi nec Assignatio ulla in illud acceptari deberet, usque dum ex omnibus Provinciæ Bonis cum Ecclesiasticis tum Terrestribus reapse fuisset collectum. Unde satis apparet, quod, licet etiam Assignationis cujuspiam nuda extraditio ad obligandum sufficeret, Assignatio illa 240000. florenorum à Thesauro Prussiæ in rem p. d. Illustrissimi Domini Jablonovii undecima die Junii Anni 1701. ad Civitatem Gedanensem directa, præcocior multò fuerit quam ut Civitatem eam stringere posset.

Posterior Assignatio 31. millium florenorum cum seriùs fuerit extradita, Gedanensis Civitas similia quidem ratione temporis eidem opponenda non habuit; Alia tamen hic notanda occurrunt. Loquitur eadem, ut jam superius dictum, in genere de omnibus Contributionibus Anno 1700. institutis. Nec minus verò supra indicatum fuit, Civitatem Gedanensem juxta cum reliquis Majoribus Civitatibus non in omnes tum temporis sancitas Contributiones, sed tantùm in 59. Accisas consensisse, adeoque nec ad alia præterquam ad Accisas modò enumeratas potuisse obligari Atque in has ipsas The-

Thesaurus Pruthenicus speciales extradidit Assignationes ad Civitatem Gedanensem, quæ easdem ad 128000. florenorum usque acceptavit, atque pecunias, quas 59. Accisæ intra tempus in Conventu Generali præstitutum confecerant, exactissimè dudum persolvit, evincentibus id ipsum Authenticis Thesauri Pruthenici Apochis seu Quietationibus. Quæ cum ita sint, neq; Illustrissimi Hæredes Jablonovii, nec quisquam alius habet, quod amplius rei hujus ergo prætendat. *Subsidium Personale* tantùm adhuc superest Anno 1700. Mariæburgi constitutum, utpote cui Civitas, modo supra dicto, non quidem in Conventu illo Generali, postmodum tamen sese accommodavit. Tantæ verò Summæ, quantas vel prior Assignatio 240000 florenorum vel ambæ conjunctim 271000. florenorum efficientes sistunt, in Illud assignari minime poterant, siquidem ex *Subsidio personali*, quod Anno 1676. in Provincia Prussia collectum est, quodque Eadem Provincia Anno 1700. illius Subsidii, dequo jam agitur, normam constituerat, Summa tantum provenit quartam pecuniarum, quas ambæ controversæ Assignationes exprimunt, partem paululum excedens. Neque etiam Civitas, more in sciscendis Contributionibus Provincialibus communiter à se observato, qui ex earundem indole alius essenequit, plura in se recepit, quam *quæ ex Subsidio hocce personali forent collecta.* Plus simplici vice, & diserte quidem cum literis, tum ore, id ipsum initio statim Illustrissimo & Excellentissimo Domino Castellano Cracoviensi Jablonovio tum temporis adhuc viventi, cœterisq; omnibus, qui hujus Negotii ergo Civitatem requisiverant, ipsa exposuit, eo utique fine, ne plura in posterum exige-

ren-

rentur quam data à se inferre posset Declaratio. Anno 1702. modo dicti Illustrissimi Domini Castellani subsequebatur obitus, atque Hæredes Ejus à Civitate Gedanensi & Ipsimet, & per complures Regni & Provinciæ Proceres, ut & alia Illustria Utriusque Membra requirebant, ut ad Assignationes Thesauri Pruthenici Illustrissimo Eorundem Parenti datas, Gedanense Subsidium personale sibi extraderetur. Civitas autem quo magis Iisdem confirmaret, *pecunias ex Subsidio Personali collectas aliis, quibus similes â Thesauro Prussiæ datæ essent Assignationes, minime exsolutum iri*, quod pro eâ, quæ tum erat, negotii facie ipsi potissimùm intendebant, declaravit, *quod, quoad Assignationes ex sæpedicto Thesauro Pruthenico in favorem Illustrissimi Eorundem Parentis datæ, in potestate ipsorum tanquam Ejusdem hæredum forent, nullæ aliæ in Subsidium illud Personale acceptarentur, neque cuipiam alii ex personali hocce Subsidio*, ad quod solummodò Civitas sese Iisdem expresse obstrinxerat, *aliquid extraderetur*; Qua Declaratione & ipsi Illustrissimi Domini Hæredes Jablonoviani & omnes, qui officia sua pro Iisdem interposuerant, contenti fuêre. A Civitate quoque exacta ejusdem habita fuit ratio. Cum enim paulo post alii quidam Thesauri Prussiæ Assignatarii in Subsidii hujus Persônalis negotio Civitatem compellarent, illorum sollicitationibus quo minus deferretur modeste semper recusavit.

Neque verò exiguum in Illustrissimos Hæredes Jablonovianos inde redundavit commodum, dum fide apud quosdam Civium & Mercatorum Gedanensium

hoc intuitu repertâ, pecuniis mutuis in sæpe allegatas Assignationes suas, Mercatoribus illis securitatis loco traditas, abunde adjuti fuêre. Mirabitur quilibet, dictos Illustrissimos Dominos Hæredes in easdem 93509. *florenorum Pruthenicorum Summam* à tribus Gedanensium accepisse, ex *Subsidio* autem *Personali*, in quod unicum Ipsis ex pacto Civitatis Jus quoddam esse poterat, tantum 60. *millia*, *&* *quod paululum excedit*, *florenorum Pruthenicorum* provenisse, atque nihilominus ab Illustrissimis Dominis Jablonoviis insignes adeò contra Gedanensem Civitatem constanter formari Prætensiones, quales sunt, quæ sive Radomiensis Tribunalis Decreto innuuntur, sive novissimè ex parte Illustrissimi & Excellentissimi Domini Palatini Culmensis in medium allatæ fuerunt. Purissima tamen horum omnium pro distinctiori notitiâ recensitorum est veritas, quæ evidentissimis, quoties opus fuerit, documentis firmari poterit.

Considerat equidem Civitas Gedanensis, tot myriades seu milliones in sui libertatisque suæ Conservationem integro belli hujus tractu erogare coacta, Inclytam Rempublicam Polonam, in quam sine ulla propriâ impensâ inde insignis adeo fructus redundavit, quod Civitas eadem non parem cum aliis quibusdam Poloniæ & Prussiæ Civitatibus, alienæ Potestati subjectis, atque ex parte non sine difficillimâ operâ & prægrandi sumptu Reipublicæ redditis, sortem subierit, eâ fore æquanimitate, ut pro justo aliquo solatio summulam Subsidii personalis Gedanensis ex Suo Thesauro Illustrissimis Dominis Jablonoviis exsolveret, vel aliâ Iisdem ratione satisfaceret. Similem quippe affectum non tantùm Civitas hæc tempore belli, minus diuturni minusque difficilis, ac fuit

estque prohdolor! adhuc præsens, olim experta est, portione, quam ex Contributionibus in Provincia sancitis solvendam habuit, ob allegatam rationem sibi remissâ, sed & hoc ipso seculo & ante annos haud multos varii alii Regni incolæ obtinuere. Cum æquitate minimùm non pugnasset, si Respublica simpliciter Civitati quidquam donare atque eandem ad gratias nunquam intermorituras, & posteros ad imitandum Majorum pristinam fidelitatem & constantiam provocare dedignata, modicum tamen, quale *Sexaginta & aliquot florenorum millia ex subsidio personali Gedanensi collecta* efficiunt, pretium, in diminutionem *Vicies centenorum millium florenorum* illorum in se suscepisset, quæ Civitas Gedanensis à prioris belli Suecici tempore, postquam in spem promptæ Solutionis pari Summæ renunciavit, suffragante prævia solenni computatione & liquidatione à Republica repetenda habet, tot publicis Regni Constitutionibus sibi asserta. Quorum usuræ illis, à quibus urgente tum temporis necessitate pares pecunias mutuas accepit, præstandæ per tot annos continuos Ærariis Civitatis incubuerunt.

Cum verò Civitas ad observantissimas Suas sœpiusque iteratas sollicitationes neutrum hucusque obtinere potuerit, prævidet ferè sibimet circumspicienda esse media, quibus Summâ, ex subsidio personali quondam collectâ, quam spe allegatâ nitens in Sui conservationem impenderat, se extricet: Quantumvis in novissimis adhuc Comitiis Generalibus Grodnensibus Illustrissimorum Dominorum Jablonoviorum Desideria in genere omnia ad proximè futura Comitia Generalia

remissa fuisse meminerit. Verum enim verò non Illustrissimi Domini Hæredes Jablonovii quod inde prætendant habebunt, sed profecto Cives illi Gedanenses, in quorum, ut dictum est, manibus Illorum *Assignationes* hærent, qui *His viginti & aliquot florenorum millia in vim Summæ principalis, amplius quàm Iidem ex Subsidio Gedanensi personali percipere potuissent, numerârunt*, atque præterea haud exigua ratione *Usurarum*, quas non cum Civitate, sed cum primo Assignationum sibi oppignoratarum Possessore, insciâ Civitate, pacti sunt, repetenda habent. Civitati super eo, quod sibi incumbet, cum Civibus suis facile conveniet. Quodsi verò Tribunali Radomiensi aut cuidam alii, ubi negotium hocce tractatum hactenus fuit, aliquid in eodem sibi porrò tribuere & vindicare placeret, & Juribus & Æquitati nihil magis consonum foret, quàm ut id ipsum eo fieret modo, quo Cives Gedanenses ratione prætensionis, sibi post obtentam à Civitate Satisfactionem adhuc reliquæ, ab Illustrissimis Dominis Jablonoviis indemnes præstarentur. Hi enim soli Summæ Principalis receperunt excessum, adeò copiose suis commodis affluentem, ut propè *dimidiam* ejusdem Summæ *partem* æquet.

In tertio puncto nomine Illustrissimi & Excellentissimi Domini Palatini Culmensis supponitur:

> *Civitatem Gedanensem ex Accisis Anno* 1713. *in sexennium laudatis* 80000. *florenos adhuc debere, cum tantundem ex assignatis in eandem* 480000. *florenis minus fuerit solutum.*

In exterorum gratiam paucis indicasse juvabit, quemadmodum *in Prussia Polonica Accisæ in Conventibus Ejus Generalibus decretæ à Civitatibus persolvantur.*

Earum

Earum longè alia ratio eſt, ac *Agrariarum*, quas *Ordo Equeſtris* pendit, quantumvis numerus Acciſarum, numero Agrariarum certo reſpectu accommodetur, ita, ut paululum infra binas acciſas in unius agrariæ vicem computari nunc ſoleat. Quantum ex *quâlibet Agrariâ* in univerſâ Provinciâ proveniat, accuratè quidem conſtat, quoniam Agrariæ ſecundùm Manſos & Jugera colliguntur, horum verò quà ſingula Bona Regia, Eccleſiaſtica & Terreſtria in Cataſtro ſeu Tariffa Terrarum Pruſſiæ determinatus numerus exſiſtit. E contrario *ſimpla Acciſa* quantum efficiat, exacta notitia haberi nequit, cùm eadem modò plus, modò minus importet. Ratio hujus rei in promptu eſt. Etenim menſura terrarum immutabilis ſervatur, quoad Cataſtrum ſeu Tariffa, in quâ Menſura definita eſt, non immutatur; Acciſa verò de quolibet, qui conſumitur, polenti ſeu *braſei* modio ſolvitur, proindeque coctæ Cereviſiæ copiâ ejusdemque virtute, quæ pro braſei quantitate vel augetur vel minuitur, potisſimum nititur, quod ſimplæ Acciſæ proventus modò major ſit modò minor. Ubi uſurpatâ in circumjacentibus Bonis Eccleſiaſticis & Terreſtribus contra communia & ſpecialia Jura coquendi cereviſiam facultate, conſumptionem Braſei atque inſimul Acciſarum proventum inſigniter diminui neceſſe eſt. Inprimis cùm in Bonis, quæ minora Contributionum onera parcioresque ſumptus publicos ferunt, Cereviſia & minori, quâm in Civitatibus, pretio vendi, & aliquantò efficacior præſtari queat. Ipſa Acciſarum pro quovis braſei modio ſimul ſolvendarum copia cereviſiam tenuiorem efficit, cùm aliàs ſolito vendi pretio non poſſet.

Quare fit ut Prusſiæ Polonæ Civitates, cum in Conventibus Generalibus Accilæ conſtituuntur, in genere *ad eorum tantummodo, quæ ex Acciſis illis provenerint, ſolutionem* ſe obſtringant, *Prænumerationem* verò, ut nominant numerationem in Anteceſſum factam, ſi quæ cenſetur neceſſaria, atque à Provincia rata habetur, in ſe minimè ſuſcipiant, curam ejus *Domino Theſaurario Provinciæ* relinquenres. Neque ratione Asſignationum, quæ vel huic vel illi Creditori, Pecuniæ ita repræſentatæ vel *prænumeratæ*, vel etiam illis, in quorum rem Contributio ſancita eſt, à Theſauro Prusſiæ extraditæ fuere, ullæ aliæ partes Civtatibus incumbunt, niſi quod ſingulas, ſervato quem Dominus Theſaurarius Provinciæ præſcripſit, ordine, in ſuis Acciſarum Actis ſive *Regeſtris* annotent, & poſtea eodem ordine ex Acciſis ſucceſsivè collectis valorem cujuslibet Asſignationis fideliter & exactè perſolvant. Hæc quoties Civitates obſervant, & quam in ſe ſuſceperunt obligationi, & iis, quæ Concluſa Provinciæ ſeu Lauda requirunt, ex aſſe ſatisfaciunt. De eo tamen præcavendo meritò ſunt ſollicitæ, ne majores asſignentur Summæ, quàm quæ durante, quo Acciſæ currunt, tempore ſolvi posſint. Harum enim aliàs nova inſtituenda foret deſignatio, quæ, cum à totius Provinciæ Sancito pendeat, longiùs ſæpe protrahitur. Adhæc ſolutio talis reſidui atque uſurarum, quæ inde accrevere, efficit, ut ſubſequens Contributio vel qua proventus diminuatur, vel qua impoſitionem pro ſupplendo iſto defectu eò gravius in Terras atque Civitates onus devolvatur.

Ex iis, quæ in genere de natura & indole Acciſarum hic ſuccinctè fuere adumbrata, facile conjicitur, an

Civi-

Civitati Gedanensi Anno 1713. in Conventu Generali Mariæburgi celebrato ratione *ducentarum & quinque*, in quas consensit *Accisarum*, Summa 480000. florenorum fuerit imposita, & an ad eam solvendam ipsa sese obstrinxerit. Præcedentia satis innuunt insolitum id prorsus futurum fuisse. Ipsa etiam Civitas contrarium constanter asserit. Quare adversæ parti probatio ejus incumbet. Nulla verò Civitatem fortius stringere potest, quàm quæ ex ipsis Laudis modò dicti Conventus Generalis fuerit petita. Ex iisdem omnino dirimenda est controversia.

Jám verò in Laudis hisce simile quid minimè occurrit, indeque sufficiens in favorem Civitatis elicitur præsumptio. Quid quod eadem Justitiam Causæ pro Civitate militantem plenissimè evincunt. Etenim Lauda Contributionum ut alias semper ita & hac vice expresse docent, *binos solidos de quovis polenti seu brasei modio in vim simplæ Accisæ solvi, universum Accisarum numerum intra Sexennium in certas classes seu ratas distributum esse, atque in quavis rata certum Accisarum numerum currere debere.* Hæc omnia minimè fuissent necessaria, si constitutæ Accisæ generatim pecuniâ æstimari vel taxari potuissent, aut etiam, si Civitas se hac ratione taxari permisisset, quo casu tale quid tanquam plane singulare & insolitum Laudo procul dubio expressum fuisset. *Laudum Conquirendæ ad fidem publicam pecuniæ*, sub No. 5. adjectum, aliud adhuc pro Civitate No. 5.
exhibet testimonium. Quamvis enim, qui Civitatem hujus rei ergo arguunt, meliora nescientibus persvadere vellent, Civitati Gedanensi utique certam pecuniarum

Summam fuiſſe impoſitam, ad quam ſolvendam ſe omnino obſtrinxerit, quamque ex Acciſis ſuis in Ratis vigore *Laudi* præfixis colligendam haberet; Iſti tamen partim ſibimet ipſis contradicerent, cum concedendum ipſis foret, Civitatem non eſſe obſtrictam, ut 480000. florenos ante ſolvat, quàm *intra ſexennium* currentibus Contributionibus præſtitutum, ſecus enim non opus fuiſſet ut à Domino Theſaurario Provinciæ in fidem publicam, appromisſis uſuris, pecuniæ mutuæ conquirerentur, adeoque ante abſolutum illud Sexennium contra Civitatem & præpropere & inique prætenſionem formari, partim omnem fucum mox abluturum eſſet Idem quod ultimo loco memoratum eſt Laudum, quo docetur, *pecunias in fidem publicam conquiſitas ex Contributionibus & Dono Gratuito*, prout utrumque collectum fuerit, hoc eſt Senſim & pedetentim refundi debere.

Atque ita profeſſum palam, Civitatem Gedanenſem tantummodo ad *certum Acciſarum numerum* & ad harum, quicunque futurus eſſet, proventum, minimè verò *ad certam pecuniarum Summam* reſpectu earundem ſeſe obſtrinxiſſe, & vi ipſius Laudi non hoc ſed illud Civitati incubuiſſe. Quodſi calculus ab uno alterove privatim citra conſilium aſſenſumque Civitatis ſubductus fuerit, iſtos teneat oportet neglecti certioris fundamenti eventus. Neque tamen reticendum eſt, Civitatem Gedanenſem non minùs, ſed plus ac quidem debuit, quin imò ſuperflua, ex ſingulari inprimis, quo *Illuſtrisſimum & Excellentisſimum Dominum Palatinum Culmenſem* ſuſpicit, cultu præſtitiſſe.

Ut Mutuarum in fidem publicam conquirendarum pecuniarum cura Domino Thesaurario T. P. à Provincia commissa fuerat. Huic verò multa occurrebant obstacula, inprimis cum Lauda Contributionum, quæ pecunias mutuas erogantibus securitatis loco esse debebant, conditionem continerent, quod *Contributiones illæ statim cessare deberent, simul ac Miles sive domesticus sive externus Provinciæ vel Bonis Ejusdem gravis esse cœpisset.* Ad hunc lapidem plurimi offendebant. Turbæ quoque in Regno nondum sopitæ, decrescens in Civitate Gedanensi Cerevisiæ consumptio indeque exiles accisarum reditus aliis scrupulum injiciebant. Neque diu tamen miles, in cujus rem, ut prætendebatur, Contributiones constitutæ fuerant, subsistere poterat, nisi quæ ex eadem ratione Domino Thesaurario Provinciæ commendata erat, mutuarum pecuniarum in fidem publicam conquisitio re ipsa perficeretur. Magistratus itaque Civitatis Gedanensis officia sua interponendo inibat rationem, ut per delegatos quosdam, qualis opera in Contributionum Provincialium negotio antea nunquam fuerat adhibita, supra allegatæ conditionis scrupulum eorum animis, qui aliàs ad suppeditandum mutuas pecunias minus fuissent difficiles, idoneis argumentis eximeret, juxta ac alios ad faciendam in antecessum numerationem adduceret, adeò ut hunc in usum pecuniæ, quæ hoc modo aliàs collocari non solent, consentiente & partim requirente Magistratu converterentur. Atque hac ratione Summa pecuniæ numeratæ *ter centies mille florenos Pruthenicos* circiter efficiens colligebatur, cujus primas & insignes quidem

portiones Illustrisſimus & Excellentisſimus Dominus Palatinus Culmenſis, providente huic rei Magiſtratu, capiebat. Præter hæc *Centies mille floreni* in dictas acciſas in Regeſtris Civitatis Gedanenſis annotati ſunt, atque adeò generatim 400000. *florenorum* Pruthenicorum tum temporis ab eâdem in Asſignationibus fuit acceptata. In quarum pecuniarum ſuccesſivâ & exactâ ſolutione Civitas conſtanter more ſolito perrexit atque etiamnum pergit.

Plurimam hoc nomine & ſe iniiſſe & ſibi relatum iri gratiam conſiderat. Nec deerant, qui eandem Civitati habebant, ipſâ â Conventu Anni 1713. ad annum usque 1715. in eo, quod ad Prætenſiones Contributionum Provincialium attinebat, minus turbatâ. At verò ultimùm dicto anno non adeò gratam Officiorum Civitatis haberi memoriam jam apparebat. Illuſtrisſimus & Excellentisſimus Dominus Supremus Exercituum Regni Dux, qui tamen, ut in fine obſervationis ad primum Punctum commemoratum fuit, operam â Civitate in novisſimo Conventu Generali præſtitam & honorificè & gratioſisſimè literis prædicaverat, *nullâ ibidem reſiduæ prætenſionis mentione injectâ*, â Civitate poſtulare cœperat ut 80000. florenos adhuc exſolveret, atque Illuſtrisſimo & Excellentisſimo Domino Palatino Culmenſi idem poſtulatum ſuo proprio adjuncto urgere placuerat. Quas rationes Civitas iisdem oppoſuerit, hic ſubjungere nimis prolixum foret. Neque etiam neceſſarium videtur, cum ex præcedentibus jam ſatis colligi posſit. Præcipua negotii momenta connectunt atque exhibent, quæ in eodem ad

Illu-

Illustrisſimum Excellentisſimumq; Dominum Palatinum Culmenſem à Civitate exaratæ fuere literæ ſub No. 6. adjunctæ. Ex quibus inter alia, quæ No. 6.
Controverſiæ huic plurimum lucis affundunt, argumenta & hoc videre eſt, Civitatem rurſus aliquid reliqui facere voluiſſe, omnem denuò adhibendo operam atque diligentiam, ut 40. *millia* florenorum in fidem publicam mutua conquirerentur. Commoverat ad hæc Civitatem deſiderium tanti Senatoris affectum ſibi magis magisq; aſſerendi. Commoverat ſpes Generalis, quem Ipſe animo conceperat, Conventus obtinendi quo ea, quæ huic rei adhærebant minus rite ordinata, mutari in melius poſſent. Commoverat prædicti Illuſtrisſimi Domini Palatini Promiſſum: *modo Illuſtrisſimo & Excellentisſimo Domino Supremo Exercituum Regni Duci* 40000. *floreni exſolverentur, ſe ſolutionem reliquorum* 40000. *florenorum usque dum in Conventu Generali novæ Contributiones ſancitæ forent, minime urgere velle.* Quemadmodum etiam Idem Illuſtrisſimus Dominus Palatinus agnoverat, Civitati imputandum non eſſe, quod Legioni ſuæ reſiduum illud adhuc deberetur, ſe enim, cum Aſſignationes Theſauri Prusſiæ extraderentur, non ſatis curaſſe, ut anteriorem in Ordine earundem locum obtineret Quæ verò obſtiterint, quo minus eo tempore hæ pecuniæ mutuæ præſtarentur, in iisdem literis ſub No. 6. adjectis exhibentur. Transmittebantur hac ratione aliquot adhuc menſes, cùm tandem Illuſtrisſimus Dominus Palatinus poſt multas in Ipſâ Aulâ Regiâ ſibi repræſentatas rationes denuò declararet: *Se ratum habere, ut integrum, quod hactenus urſiſſet, poſtulatum* 80000. *florenorum ad dimidiam reſtringere-*

tur partem, quæ Illustrissimo & Excellentissimo Domino Supremo Exercituum Regni Duci deberetur, seque hæc eadem 40000. florenorum Illustrissimo & Excellentissimo Domino à Fleming S. R. J. Comiti, Sanctioris Conclavis Regis Directori & Supremo Campi Mareschallo cedere velle. Hic pro solitâ sua Humanitate & Generosioris Mentis connatâ indole, negotium hocce ita in se suscipere dignabatur, *ut plenissimè confectum esse deberet, quam primum ad Literas Cambiales suo arbitrio ab Illustrissimo Domino Palatino inscriptas per Civitatem Gedanensem Summa* 16000. *florenorum in numerata pecunia exsolveretur, atque reliqua Summa* 24000. *florenorum in Actis Accisarum Gedanensium, eo, quem relatorum jam in ea Numerorum series admitteret, loco notaretur.* Tandem ergò Civitas Gedanensis pro decentissimo, quo Illustrissimum hocce Par veneratur cultu, in modò dictam propositionem consentiebat, eandemque exsequebatur, partim *solvendo in numerata pecunia valorem prædictarum Literarum Cambialium*, postquam multo labore 16000. florenorum mutua in Accisas Gedanenses conquisita fuerant, partim *acceptando in easdem Accisas Assignationem* 24000. *florenorum* ex Thesauro Prusiæ Illustrissimo & Excellentissimo Domino Campi Mareschallo datam. Quæ Assignatio ultima fuit in Accisas Anno 1713. sancitas â Civitate acceptata. Atque hâc ratione Accisas Provinciæ Gedani currentes 440. *Millibus florenorum onerari revera oportuit.* Sed manifestum satis est pro sorte s. capitali & usuris longe supra 100. millia florenorum, uti à Civitate diligenter satis demonstratum fuit, residuum mansurum, posteaquam Accisæ Sexennales mense Junio Anni hujus 1719. currere

rere desierint, cujus Summæ solutionem Creditores majore quidem Provinciæ & Civitatis, quam suo incommodo & detrimento expectandam habebunt, usque dum novæ Accisæ ordinario modo in Generali Terrarum Conventu fuerint sancitæ. Quod ipsum pariter evenisset eademque patientia Illustrissimo & Excellentissimo Domino Palatino Culmensi adhibenda fuisset, licet sepositâ omni alia consideratione Civitas Gedanensis majores illas Summas, quibus, uti supra memoratum est, Ipse renuntiaverat, plurium adhuc Assignationum acceptatione anterioribus adjici eoq; pacto Accisarum suarum proventus cum gravioris æris alieni nexu implicari permisisset. Interim verò Ipsemet Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Palatinus Culmensis Literis suis, quarum Exemplum sub No. 7. annexum est, affirmavit, Se ultimam hanc 40000. florenorum Summam, de quà plura modo recensita fuere, non tantum Illustrissimo & Excellentissimo Domino Supremo Campi Mareschallo cessisse, sibiq; ab Eodem ejus ergo satisfactum esse, sed & eo fine se eandem accepisse, *ut inde quæ ad Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Supremum Exercituum Regni Ducem pertinerent, solverentur.*

Quare jam assequi non licet, quomodo Accisarum Anno 1713. sancitarum in antecessum facta numeratio, sive, quod intuitu Civitatis eòdem recidit, Assignationes à Civitate in easdem Accisas acceptatæ, tantùm ad 400. millium florenorum calculum revocari, vel etiam querimoniæ audiri possint, Legionem Illustrissimi Excellentissimiq; Domini Supremi Exercituum Regni Ducis habere adhuc, quæ ex hoc capite à Civitate prætendat,

postqvàm ad hoc ultimum quod âttinet, ea semper obtinuerat assertio, non nisi pro Eadem Legione hæc 40. Mille florenos prætendi, atq; unice in rem Ejusdem adhibenda fore.

Exquisita maximè & salutari Provinciæ Lege cautum est, ne Contributiones novae in Conventu Terrarum Generali sine prævio earum, quæ ultimùm exactæ fuerunt, calculo, publico examini submisso & universim approbato, constituantur. Optandum sanè foret, ut idem Seculo hocce observatum fuisset, Civitate Gedanensi quàm diligentissimè ad id sollicitante. Tum enim statim apparuisset, an militi Regni â Terris & Civitatibus Provinciæ aliquid & quantum deberetur. Si forte quidquam occurrisset residui, facile definiri potuisset, cuinam solutio ejusdem incumberet. Tantum verò abest, ut inter illos, qui residui quid adhuc debent, Civitas Gedanensis deprehenderetur, ut potius iis, qui plus quàm pro rata parte oportuerat, solverunt, jure meritoque accensenda foret. Alioquin jam plus simplici vice probatum & evictum fuit, Provinciam Prussiam liquidum SesquiMyriadis, vel ut vocant, Millionis, calculum, quam supra ratam partem solvit, cum Republica expediendum habere, Ipsique adeò Jus competere eandem summam de novis aliis Contributionibus detrahendi. Quodsi res eò aliquando deduceretur, Civitas quoque Gedanensis pro sua parte, loco incommodorum sibi jam ex aliis, quæ supra alias formantur, prætensionibus obvenientium, non levi frueretur Commodo atque Solatio.

Ultimum Punctum, quod pro defendenda Executione Bonis Civitatis Gedanensis Patrimonialibus immissa, allegatur, consistit in

Tri-

Trimeſtribus ſeu, ut vulgo appellant, Quartualibus Krasnoſtavienſibus.

Hæc originem ſuam debent Anno 1716. die 17. Sept. Krasnoſtavii in Tribunali Theſauri ibidem habito, concluſis. Ubi ad diſſolvendam, quæ aliquot abhinc annis Regnum Poloniæ vehementer admodum concuſſerat, Confœderationem, conventum erat, ut Copiis confœderatis, partim illis, quæ quod integer Exercitus Regno Poloniæ Magnoq; D. L. ſtipendia inpoſterum meriturus ad minorem reſtringebatur numerum, dimittendæ erant, partim reliquis, quæ retinebantur, ratione antiquarum prætenſionum ſatisfieret. Id verò Summâ perficiebatur Pecuniariâ utrinq; pactâ, quæ in omnes Palatinatus & Diſtrictus partiebatur. Provinciæ Prusſiæ 528253. floreni & 6. grosſi monetæ Polonicæ, vel, quod perinde eſt, dimidia ejusdem Summæ pars Monetæ Pruthenicæ imponebatur, rurſus in Eâdem diſpartienda. Hæc, ut loqui amant, Sub-repartitio ſecundum Jura Provincialia non niſi in ſolenni Conventu, adſcitis omnibus Terrarum Statibus & Ordinibus, conficienda fuiſſet. At verò aliqui tantùm iique pauci Senatores & Dignitarii Pruthenici ad negotium hocce admisſi, neque ulla ejus Civitati Gedanenſi facta fuit propoſitio, antequam omnia eſſent expedita. Nihil eadem intermiſit, quod ad demonſtrandam hujus rei anomaliam pertinere viſum fuit. De eâ ſœpius in Colloquiis ea propter inſtitutis conqueſta eſt, ſe ſcilicet inſignem ex eo percipere dolorem, quod, cum omnia, quæ in rem Militis Regni in Generalibus T. P. Conventibus eſſent ſancita, exactè ſemper pro parte ſua præſtitiſſet, adeoque ex prætenſis iſtis an-

tiquis Summis residuis Militi Regni nihil prorsus deberet, neque etiam ullæ sibi in Confœderatione fuissent partes, nihilo secius ad Summarum earundem Solutionem concurrere & ad prœmia eorum, qui in Confœderatione arma tulissent, quicquam conferre deberet: Æquitati adhæc minime consonum esse, ut, postquam Summa Provinciæ imposita cœteroquin justam proportionem maximoperè jam excederet, in Civitatem solam tanta ejus pars, quantam postulata ab eâdem Summa 77017. florenorum 17. grossorum efficeret, devolveretur. Ut alia, quæ hac in re obvenere, anomala silentio tegantur. Constanter & acriùs quidem Civitas, ut postulato annueret, pressa fuit atque tandem ingentis beneficii loco allegatum, quod Civitati 7200. floreni Pruthenici de Summâ ultimùm memoratâ, remitterentur, multæ quoq; pollicitationes adjectæ, in proxime futuro Tribunali Thesauri Radomiensi provisum iri, ut Provincia respectu totius Summæ aliquâ ratione sublevaretur. At verò Civitati, quæ tot tantisque Calamitatibus & ærumnis circumsepta erat, quæ insignes adeò Summas quovis Semestri Militi Regni solvendas in se receperat, quæ non uni Principi extero aliquot centena Millia supra Myriadem, vel ut vocant Millionem, exsolvenda habebat, durante hocce æstu minimè integrum erat, desideratâ postulato huic respondere declaratione, neque ad satisfaciendum eidem unquam fidem suam ita adstrinxit, ut valida inde contra eam formari queat prætensio. Atque in hoc Statu res omnis hactenus perstitit, tametsi propensa eandem convenienti ratione expediendi Voluntas Civitati non defuisset, modo ex unâ parte immensi, quos eò tempore in negotio Rus-

sico

fico erogandos habebat sumptus, atque numerosa, quæ Miles Russus in Civitatis Territorio fixerat Stativa, non obstitissent, ex altera verò parte studium aliquod & indicium ex æquo & bono negotium finiendi seriò prælatum fuisset. Quæ proni animi affectio nec etiamnum in Civitate deficeret, modo exactè constaret, quinam illi sint, cum quibus rei hujus ergo tractandum foret. Assignationes enim sæpiùs immutari, atque plures illorum, quibus pecuniæ istæ in Civitatem Gedanensem ante assignatæ fuerunt, aliò remissos esse, compertum est, quos inter Ipse quoque Illustrissimus & Excellentissimus Dominus *Palatinus Culmensis* existere creditur. Quin haut levis dubitandi causa nata est, an ii, quibus hæc Trimestria s. *Quartualia Krasnostavviensia* assignata sunt, ulli eorum, qui Polonica arma Civitatis Gedanensis territorio intulere, mandatum vel facultatem dederint Prætensiones suas hac vel alia quapiam ratione urgendi atque Civitati hoc nomine negotium facessendi.

Judicet interim, cuicunq; Judicium est omni, qui inquirendæ veritati obesse potest, affectu vacuum, an hæc prætensio vel ulla alia trium recensitarum ex Justitiæ & Christianæ æquitatis præscripto sufficere potuerit, ad suscipienda contra Civitatem, quæ diebus hisce milite Polono Territorium ejusdem invadente atque Exsecutionem sibi commissam instituente, fuerunt peracta.

Quæ Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Palatinus Culmensis in Sui excusationem allegat *Mandata Illustrissimi Excellentissimique Domini Supremi Exercituum Regni Ducis*, durissimo ingenio dura omninò videbuntur. Ultimo, quod Civitati exhibitum fuit, Mandato die 22. Mensis Novembris Anni 1718 expe-

dito Idem Illuſtrisſimus & Excellentisſimus Dominus Supremus Exercituum Regni Dux requirit, *Ut Exſecutio prædicta perficiatur, ſimul ac miles Rusſicus Territorio Civitatis egreſſus foret.* Proh Deum Immortalem! Hoccine Præſidium, Hoccine Solatium Civitas Gedanenſis ab iis expectare debuit, qui cum eâdem Unius Ejusdemq; Regni & Corporis membra ſunt, qui inſignem adeò Stipendiorum ſuorum partem ab eadem exactè percipiunt, qui nihiloſecius eidem, in variis, quibus afflicta fuit, oppresſionibus occaſionem de præſtito auxilio gratias referendi nullam hactenus præbuere? Videtur animis illorum inſediſſe opinio, majorem exotico militi erga Civitatem fore miſericordiam, neque illum permiſſurum, ut publica Tranquillitas & Libertas ante biennium ſolenni Tractatu atque Comitiorum Generalium Authoritate aſſerta in diſcrimen adduceretur.

Etiamſi verò Prætenſio, cujus prætextu omnia peracta ſunt, tantâ fuiſſet nixa juſtitiâ, quantâ cum evidentiâ contrarium ſupra uberius demonſtratum eſt, novam tamen Compellationem violentiæ militari amicè præmitti, quam vi jam illatâ comminationibus additis ſequi, ſatius fuiſſet. Moram ſaltem aliquam negotium hocce admiſiſſet, tempore placidæ quieti & devotioni inprimis ſacro, *Hebdomada illâ magnâ & ſanctâ Pasſionis Domini*, per armatos nullatenus ſuſcipiendum.

Ipſorum *Gentilium* moris erat præcavere, ne diebus feſtis, vel proximè ante eosdem quidquam mœſti vel ingrati obveniret. Obſervabant id præcipuè *Judæi* ratione Sui Feſti Paſchalis, tantumque aberat, ut alienas tum invaderent terras, atque offendendo proximum

aliaque

aliaque Deo invisa perpetrando se contaminarent, ut potius *cum propè esset Pascha, Hierosolymam ascenderent, quò se purificarent.* Quàm religiose, quàm sanctè ab Apostolorum inde tempore in *universo Orbe Christiano* Memoria Passionis, Mortis & Resurrectionis Servatoris nostri, statis huic fini diebus celebranda celebrataq; fuerit, Historia Ecclesiastica cum vetus tum recentior, & Scripta Patrum, totque Conciliorum Canones & Decreta, nec non aliæ innumeræ Constitutiones loquuntur. Et in *Bello*, etsi justissimo, *Induciæ* quondam hoc ipso fiebant tempore, nisi urgentissima id impediret necessitas. Ipso *Jure*, ut vocabatur, *Pugni* & *Duellorum* apud nonnullas Nationes olim licitorum, atque sic dictarum *Fehdarum*, sanctis diebus hisce habebatur reverentia, *Treugaque* & Cessatio ab armis observabatur. *Judicia Civilia* & *Processus* tum differri & sisti etiamnum obtinet. Unica Gedanensis Civitas exemplum in Orbe Christiano recens esse debuit, integrum ei non fuisse ea, quæ Festum Paschale proxime præcessit Hebdomada, vel etiam, si per adversarios ejus id stetisset, ipso Festo Paschali, Cultui Divino vacare, quin pro *Fratribus* & *Amicis* habiti, tempore Passione Domini & Servatoris Sanctissimi commemorabili, Civitati colonisque ejus, nullâ causâ datâ ægre facerent, & commune Jubilum *Halleluja* suspiriis & lacrymis miserorum Territorii Gedanensis incolarum interpellarent.

Eatenus Civitas singulis fere diebus, atque unâ eâdemque die plus simplice vice omnia tentaverat, quæ in tali casu suaderet amicitia, suaderet humanitas, suade-

ret ratio, quò Territorum ſuum ab exotico, vel, accuratius loquendo, à domeſtico quidem, ſed hunc in finem non ſuſtentato milite liberaretur. Omnia verò in vanum. Miles ille Polonicus Gedanenſi Territorio immiſſus, qui initio ære proprio vivere dicebatur, colono licèt optimè experto quantum ſibi pro ſuppeditato victu ſolutum fuerit, mox de alieno eum ſibi parare incipiebat, onus Exſecutionis plurimo exceſſu auctum in colonum devolvendo. Reliquæ in Pruſſia Copiæ Illuſtrisſimo & Excellentisſimo Domino Palatino Culmenſi creditæ maximam partem movebant verſus Gedanum. Triginta circiter erant Cohortes, quas Illuſtrisſimus & Excellentisſimus Dominus Supremus Exercituum Regni Dux, vigore mandati ſui in Autographo cum Civitate communicati, Exſecutioni huic deſtinaverat. Firmabantur novis Centuriis Copiæ Civitatis Territorium ingreſſæ, atque Ipſius prædicti Domini Palatini Mandatarius, adhuc octava Aprilis die, & ore & ſcripto Civitatem certiorem reddiderat, *nullam dilationis ſpem eidem eſſe reliquam.* Horum omnium gravisſima cum jam Civitatem circumſtarent momenta, Ordinibus ejusdem juſtisſima municipum poſterorumque ſuorum metuenda fuiſſet reprehenſio, ſi injuriam, ſi præjudicium, ſi periculum, antequam prævaleſcerent, reprimere neglexiſſent. Ipſa Juris jurandi religio, qua fidem dederant, *ſe Jura & honorem Civitatis tuituros fore*, eos Officii ſui admonebat. Jubebant proinde, licet maximè inviti, militem, quem in Bonorum ſuorum Patrimonialium eorundemque incolarum defenſionem emiſerant, propius admoveri, atque ſeriis remediis, omni jure licitis, vim injuſtam à Territorio ſuo propelli. Appropinquabat

bat miles Gedanensis Pago Civitati subjecto, *Stüblau* dicto, ubi Dominus Colonellus à Rittesel cum omnibus Suis copiis, exceptis binis Centuriis ex alio vicino pago eodem discessum parantibus, morabatur, atque factis ibidem aggeribus munitis, aperturisque in sepibus ad displodenda arma, atque aliis apparatibus abunde indicaverat, se regressum suum ex Terris Civitatis minimè acceleraturum, sed extrema potius experturum. Antequam tamen eadem adhiberentur, utq;, si fieri ullo modo posset, declinarentur, idem Colonellus ultima vice humanissimis verbis compellabatur. Illo vero contraria mandata à Superioribus Suis sibi commissa constanter allegante, tandem quibus abstinere Civitati integrum non fuerat, perfici oportuit, postquam durissima à quibusdam Præfectis Copiarum Polonicarum in militem Civitatis jacta opprobria, majori, quam quæ desiderari poterat, patientiâ ab eodem superata essent.

Eum denique res omnis sortiebatur exitum, ut miles Civitatis Gedanensis nona Aprilis primaq; Festi Paschalis die dictum pagum Stüblau juxta ac omnes in eodem exsistentes Copias Polonicas in potestatem suam redigeret, quâ occasione ex his Centurionis locum tenens, qui brevi ante acerbissimis in Gedanenses injuriis præ aliis enituerat, unà cum duobus gregariis militibus vulnerabatur. Cœterum eam modestiam ac moderationem Miles Civitatis ubique observabat, ut neminem ex Copiis Polonicis ulla ratione violaret. Sufficerat ei Scopum obtinuisse, cujus obtinendi causâ emissus fuerat, ut scilicet Milites Regni relicto Gedanensi Territorio Vistulam trajicerent.

Civitas sanè sæpe nominata, uti ex præmissis satis superque colligitur, perlubenter supersedisset Magni Sanctissimique Festi Paschalis Solennitatem ejusmodi auspicari expeditione. Ipsi verò aliisque rem hanc curatius expensuris recolendum, quod *Scaevola*: Quid feriis agere liceret? interrogatus, respondit: Quod omissum noceret, & à Pontifice Romano in *Nicolao* quodam Canone *Bulgaris* repositum, Si inevitabilis' urget importunitas, nec Quadragesimali tempore, pro defensione tam sua, quam Patriæ seu Legum Paternarum, bellorum præparationi parcendum esse.

Quæ utrinque gesta sunt aliquo modo ad præparationem ejusmodi accedunt, quantumvis eadem neque uni neque alteri parti eo fine ut gloriæ suæ inservirent, suscipienda fuerint. Utra verò pars scopum modò dicta admonitione Pontificia approbatum sibi præfixum habuerit, justæ aliorum decisioni Civitas Gedanensis libens relinquit.

Confidit eadem humillimè, Sacram Regiam Poloniarum Majestatem, Regem Suum Clementissimum, Dominum & Judicem Suum Unicum, pro Paterna Benignitate & Justitiâ, clementissimè cognituram, non potuisse Ordines fidelissimæ Civitatis Gedanensis aliter ac fecerunt, & communis cuivis animanti a naturâ inditus instinctus impellit,

agere, ne Civitas à *Throno Judicioque Regio, cui Soli subjacet*, per aliena Decreta, & quidem indignis adeo, ut suprà discussum fuit, prætextibus avelleretur, atque Jurisdictioni illorum subjiceretur, qui perinde ac Civitas *Sacræ Regiæ Majestati* subditi, atq; cum eâ in eadem Regni Unione constituti sunt, sed Civitati quidquam vel imperandi vel in præjudicium Libertatis ejus imponendi Jus nullum habent. Neque *Sacræ Regiæ Majestati*, vi Summæ Authoritatis, efficacissima defutura sunt remedia, quibus provideatur, ut, si non de præjudiciis ubivis jam notissimis, quæ *Dignitatis Regiæ Prærogativa atque Immunitates Terrarum & Civitatum Prussiæ* patiuntur, sufficiens subsequatur satisfactio, quam *Sacræ Regiæ Majestatis* dispositioni Civitas humillimè relinquit, ne saltem imposterum tristi firmetur exemplo, *Unius Ejusdemque Regni Membris, sicubi armatis imperare possunt copiis, omnia pro lubitu atque commodò licere.*

Serenissima Respublica Polona, quam tot Viri Sapientissimi atque Salutis Suæ Scientissimi, sub Augustissimo Moderatore indefessa cum sollicitudine Bono Publico incumbente, constituunt, gratiosissimè respicere dignabitur, quæ Civitas Gedanensis ingenua illa & constans, ultra Unum & Sesqui Seculum, ex quo cum Republica unitam se esse gloriatur, Fidei Zelique in Eandem Sui argumenta Orbi universo exposuerit. Dignabitur considerare, quantum emolumenti ex hujus, etsi exiguæ, Suæ partis conservatione in se hactenùs redundaverit: quantique hæc ipsa Civitati recentioribus inprimis temporibus constiterit, ubi Divina an-

nuente Benignitate, præcipua Subſidia *ex propriis Civitatis facultatibus*, atq; Civium & Incolarum ejusdem fortunis, magis magisque jam, quod à nemine adjuventur, decreſcentibus, conquiri oportuit. Dignabitur reſpicere, quàm inſigne inde obveniret detrimentum, ſi Jura & Immunitates Civitatis ulterius eâdem, quæ ultimum electa fuit, ratione infringi pateretur.

Imperia, Regna & *Status* ſine potentiori Exoticorum Amicitia atque Fœderibus firmiter ſatis conſiſtere non poſſe, nemo inficias iverit: Ecquis verò non affirmaverit, exteris Poteſtatibus cum aliis exteris tum gratisſimam eſſe amicitiæ culturam, cùm hi domeſticas antiquas Conſtitutiones ſincerè tuentur, easdemque Poteſtates exoticas maximam in ejusmodi Amicis collocare fiduciam, qui propriis Civibus & Incolis exactisſimè ſervant & cuſtodiunt, quæ hi ſecundùm Conventiones Fundamentales, & antiqua Jura benè parta atque Prærogativas ſuas deſideranda & expectanda habent.

DEUS cœterùm novit optimè, in pectoribus Ordinum Civitatis Gedanenſis omnium minimè Seminis Illius quicquam foveri, vel in omne ævum fotum iri, cujus celeberrimus ille *Plocenſis Epiſcopus* in fine Diſſertationis ſuæ lectu dignisſimæ, *De Statu Rerum Polonicarum*, meminit. Præter alias verò obſervationes, quæ ex Scripto hocce petitæ ad præſentem Civitatis Gedanenſis Statum optime applicari poſſunt, nec illæ omni carent fundamento, aut ad rem præſentem inidoneæ ſunt, quibus Idem *Epiſcopus*, unà cum Voto ut Falſus ſit Vates, concluſionem ejusdem paucis ante ultimas lineis Poſteritati diſpiciendam reliquit.

Incly-

Inclytæ Provinciæ Prussiæ, Hujus Consiliariorum, inter quos Illustrissimum & Excellentissimum Dominum *Palatinum Culmensem*, tanquam *Primum Secularem Senatorem* ut & plurima Ejusdem merita singularia planè atque laude dignissima, eâ, quâ par est, observantiâ suspicit, Universorumque Ejusdem Statuum & Ordinum, cùm peculiare tum quoque commune in eo versatur commodum, ut provideatur, ne partium, quæ integram Provinciæ compagem efficiunt, ulla in Juribus suis Cardinalibus antiquissimisque Immunitatibus detrimenti quid capiat, multò minùs eorundem jacturam patiatur. Hæc ut Majores defenderent, junctis animis nec fortunis suis nec sanguini suo pepercerunt. Hæc, cum iidem sponte sua ad Regnum Poloniæ accederent, sibi solennissime reservârunt. Harum integritas ipsis universis, cum Eidem unirentur, sanctissimè appromissa fuit. Quæ verò in horum præjudicium Civitati Gedanensi jam obvenit calamitas, ex natura & indole sua tantum contagiosi involvit, ut omnino sit verendum, ne ex ea, quam affecit, parte, opinione celerius in reliquas omnes se diffundat, nisi in tempore seriâ eidem occurratur providentiâ. Sunt adhuc semperque erunt, annuente DEO, plures genuini *antiquorum Pruthenorum* Eorundemque Virtutum Hæredes, qui avitum in Patriam amorem servantes peculiaria sua Jura cum aliis planè diversis confundi atque tandem per hæc subverti minimè patientur. Spes est Eosdem, quoties alicui Suorum Con-Statuum injuriam inferri animadverterint, haud secus ac in Corpore humano sangvis ex membro sincero in læsum trahitur, adjutores

ejusdem exstituros. Plurima certè & præclara Sancita & Lauda Provinciæ Ipsis obversantur, quorum vigore nec illorum respectu, qui Tribunalium Polonicorum Jurisdictioni se submisere, Constitutiones Provinciæ negligendæ, vel etiam Tribunalitiorum Decretorum Exsecutiones per Copias extra Provinciæ ambitum contractas suscipiendæ sunt, quin potius cunctis Illustrissimis Dominis Provinciæ Palatinis, ut & Equestri Ordini commissum, ut ausibus ejusmodi se opponant, atque præstantissima Sua Jura & Immunitates vindicent. Certissima inde surgit fiducia, Eosdem tanto magis intuitu *Civitatum Pruthenicarum*, quas Ipsi non minus ac Majores Eorum Gloriosissimi pro optimis Statûs Sui fulcris & ornamentis semper habuerunt, & in posterum strenuè asserturos esse, quod toties hactenus agnoverunt & defenderunt, Easdem nempe Civitates minimè dictis Tribunalibus; sed unicè Sacræ Regiæ Majestati Ejusque propriis Regiis Judiciis subjectas esse & subjici debere. Sed singulariter quoque *Lauda Annorum* 1712. *&* 1713. *supra allegata* Opus sunt totius Provinciæ, undè & originem & authoritatem habent. Illorum proinde violatio atque convulsio, quæ Civitati jam acerbas adeo querimonias exprimit, universæ Provinciæ Dignitatem quin afficiat, dubium non est.

In Exteris Potestatibus cumprimis Illis, cum quarum Regnorum & Provinciarum incremento vel decremento conservatio vel oppressio Immunitatum Civitatis Gedanensis omnium maximè conjuncta est, firma

spes

ſpes reponitur, Easdem, cum fundamentum veramq; indolem caſus adverſi, qui Civitati dictæ obtigit, ex præſentis ſinceræ expoſitionis tenore pro conſummatisſimo Suo Judicio penſitaverint, Gratioſisſimum & Gratioſum Affectum quo ſæpe memoratam Civitatem hactenus, dignatæ ſunt, quemq; eadem gratisſimis veneratur ac prædicat pectoribus, & in poſterum indulturas eſſe, Summo Suo plurimumque valente interceſſu plurium & majorum perplexitatum pericula prævertendo, & quam efficacisſime aſſerendo Civitati Tranquillitatem juxta ac Uſum Jurium & Immunitatum, quæ eſſentiam ejus, &, ſi ita loqui ac ſcribere fas eſt, animam Politici ejus Corporis conſtituunt, quibus diſſolutis fieri nequit, quin concidat atque intereat.

No. I.

LAUDUM,

Manifeſtationis contra Contributiones ſine Statibus & Ordinibus in Præjudicium Terrarum indictas.

NOs Status & Ordines Terrarum Prusſiæ in Conventu Generali Ante-Comitiali congregati Univerſis & Singulis præſentium notitiam habituris, notum teſtatumque facimus; Poſteaquam Contributiones graves *contra antiquam Praxin, normam ac formam contribuendi*, tam præteritis quam præſenti annis ſine Conventu publico, ſine Nobis in Nos, non convocatis Statibus & Ordinibus Terrarum Prusſiæ, imò in

Earum & Civitatum summam oppresſionem poſitæ, carumque Executiones militari manu propriâ inſtituuntur auctoritate, proinde conſulendo indemnitati Jurium & Conſvetudinum Terrarum ac Civitatum *contra indictionem earundem* modo de Jure firmisſimo proteſtamur, *omninò volentes, ne inpoſterum ullâ ratione, in ſequelam indebitus hìc modus trahatur, ſed memoria ejus ſalvâ calculatione ratione extortarum Summarum penitus aboleatur.* In præmiſſorum fidem Sigillum harum Terrarum hiſce ſubappreſſum eſt. Actum & datum Graudenti in Conventu Generali Ante-Comitiali Terrarum Prusſiæ die 5. Menſis Aprilis Anno 1712.

No. 2.

LAUDUM.

Inſtitutionis Commisſionis Theſauri Terrarum Prusſiæ, & Denominationis DD. Commiſſariorum.

NOs Status & Ordines Terrarum Prusſiæ in Conventu Generali Ante-Comitiali congregati Univerſis & Singulis præſentium notitiam habituris notum teſtatumque facimus; Quoniam circa Contributionum in Terris Prusſiæ exactionem Eædem varia hucusque damna & præjudicia patiuntur; proinde præſentibus inſtituimus Commisſionem Theſauri, utq; juxta praxin antiquam Starogardiæ cum facultate limitandi inſtituatur, decernimus; Quem in finem Præſidem hujus Commisſionis ex Senatorio Ordine denominamus

namus Illustrissimum Dominum Joannem Chrysostomum Czapski, Castellanum Elbingensem, Commissarios verò &c. (sequuntur Nomina Dominorum Commissariorum.) Qui Illustres, Magnifici & Generosi D. D. Commissarii in præsentia Illustrissimi Thesaurarii Terrarum Prussiæ, ubi die 17. Octobris Anno præsenti Starogardiam condescendent, fundata Jurisdictione Commissoriali suâ, aliisque juxta antiquam praxin peractis Solennitatibus, ante omnia tam antiquarum, quam recentiùs laudatarum in Conventibus Generalibus & ubivis quocunque tempore & loco Contributionum, à Generosis Exactoribus eorumque Successoribus, quibus comparendi pro eodem termino terminum præfigimus peremptorium, sub rigore pœnarum in Legibus descriptarum, actualiter quocunque modo receptarum debitam facient investigationem; *tum etiam ex designatis Neoburgi aliisque privatâ auctoritate & quocunque nomine impositis & realiter exactis Contributionibus exigent calculum*, super retentoribus verò tam in Palatinatibus quam in Districtibus Terrarum harum earundem Contributionum *communi omnium Statuum & Ordinum assensu* laudatarum id, quod Juris erit, decernent, aliaque in talibus fieri solita antiquarum similium Commissionum more statuent & exequentur. In præmissorum fidem Sigillum harum Terrarum hisce sub appressum est. Actum & Datum Graudenti in Conventu Generali Ante-Comitiali Terrarum Prussiæ die 5. Mensis Aprilis Anno 1712.

No. 3.

LAUDUM,

Manifeſtationis & Præ-Cuſtoditionis contra Contributiones ſine Statibus & Ordinibus in Præjudicium Terrarum ac Civitatum indictas & extortas.

NOs Status & Ordines Terrarum Prusſiæ in Conventu Generali Mariæburgi congregati, Univerſis & ſingulis quorum intereſt notum teſtatumque facimus: Quandoquidem poſt elapſum Contributionum in Conventu Generali Mariæburgi d. 7. Decembr. An. 1700. legitimè laudatarum terminum, non tantum *Congreſſus quidam in hac Provincia, privata Auctoritate inſtituti, ibidemque Contributiones indictæ, ac poſtmodum ab iis quoque, qui nec præſentes fuerunt, ſed aliis etiam præterea prætextibus Contributiones graves contra antiquam Praxin, Normam & formam contribuendi*, intra elapſum proximè triennium *ſine Conventu publico ſine Nobis in Nos* non convocatis Statibus & Ordinibus Terrarum Prusſiæ imò in Earum & Civitatum ſummam oppresſionem poſitæ, earumque executiones militari manu propria inſtitutæ fuerunt auctoritate: Proinde conſulendo indemnitati Jurium & Conſvetudinum Terrarum & Civitatum contra omnes *privata auctoritate* habitos Congreſſus, utpote *ipſo Jure nullos & invalidos*, & contra omnes *Contributionum ſine Conventu Generali indictiones*, modo de jure firmisſimo proteſtamur, omninò volentes *ne impoſterum ulla ratione in ſeque-*

quelam indebiti hi consultandi & contribuendi modi trahantur, sed memoria eorum, salvâ Summarum extortarum in Usus Provinciæ Calculatione, & Earundem omni meliori, quo fieri poterit, modo, repetitione, penitus aboleatur; Sancientes insuper ut *imposterum Assignationes ratione solvendarum in hac Provincia Contributionum à Nemine alio quam à solo Illustrissimo & Excellentissimo Domino Thesaurario Terrarum Prussiæ, & ab hoc de nullis aliis, quam unanimi consensu in Conventu Generali laudatis & jam collectis Contributionibus extradantur, & sicubi fortè Assignationes aliæ vel aliter extradentur pro nullis & illegitimis habeantur*. Si verò aliqui præsumpserint *Assignationum indebitarum Executionem* in Terris aut Civitatibus suscipere, Illustrissimos & Excellentissimos Dominos harum Terrarum *Palatinos* seriò obligamus, ut in omnem eventum mota etiam Nobilitate ejusmodi contravenientes *coerceant & reprimant*. In præmissorum fidem Sigillum harum Terrarùm hisce subappressum est. Actum & datum Mariæburgi in Conventu Generali d. 22. Mensis Maij. Anno 1713.

No. 4.

LAUDUM.

Doni gratuiti, Quietationis & Præcustoditionis Civitatis Gedanensis.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in Conventu Generali Mariæburgi congregati Universis & Singulis, quorum interest, notum testatúmque facimus. Posteaquam turbato hoc rerum Sta-

tu per aliquot retrò annos nullæ ad ſolvenda Exercitui Regni ſtipendia legitimè in Conventu Generali Terrarum laudatæ fuerunt Contributiones, nihilominus tam à Bonis Terreſtribus, Regalibus & Spiritualibus, quam à plerisque Civitatibus *per varios Juribus Libertati & Praxi Provinciæ hujus non conſentaneos modos* ingentes pecuniarum Summæ fuerunt exactæ, & pro ſolvendis militi Regni ſtipendiis ad *emanatas indebitè Aſſignationes* extraditæ, Civitas interim Gedanenſis avitis Provinciæ pariter ac ſibi propriis Juribus DEO adjuvante inſiſtendo, memoratis ſtipendiorum flagitationibus ſatisfacere conſtanter recuſavit, cum quia nulli Contributionum â Statibus & Ordinibus Terrarum Pruſſiæ in Conventu Generali Sancitarum Laudo fuerunt innixæ, tum quia ipſa anterioribus ſemper bellorum temporibus exemptione ab omnibus, utut legitimè laudatis Contributionibus, auctoritate publica Laudorum gaviſa eſt, nuncque pariter immenſos in numeroſisſimum præſidium pro Conſervatione ſua, univerſæ Provinciæ & Reipublicæ proficuâ, erogare ſumptus neceſſe habuit, jam autem ſincerum ſuum ad ſublevandas Provinciæ hujus necesſitates ſtudium luculento teſtatura documento, non tamen quicquam priſtinæ â ſolvendis tempore belli Contributionibus immunitati præjudicando *neque ullam compenſationis ſubeundo rationem, liberâ ac ſpontaneâ voluntate*, in vim *Doni gratuiti*, ad centum & octodecim Acciſas, quamlibet Acciſam duobus ſolidis de quovis modio braſei æſtimando, quæ per ratas infra deſignandas colligentur, ſub Conditionibus hic exprimendis, per Nobilem Dominum Internuncium ſuum in præſenti Conventu Generali comparentem ſeſe obtulit: Proindè exhibitum hunc

hunc Civitatis Gedanensis affectum oblatasque in vim Doni Gratuiti Centum & octodecim Accisas pronis animis accipimus, & ut pecuniæ ex Accisis illis provenientes per Illstrissimum & Excellentissimum Dominum Thesaurarium harum Terrarum ad solvenda Exercitui Regni stipendia destinentur statuimus, *Civitatem insuper Gedanensem de omnibus omninò prætensionibus, quæ ratione pecuniarum ab aliis Provinciæ incolis, pro Exercitus Regni stipendiis, sive prænumerationis, sive alio quocunque titulo vel modo hucusque solutarum, adversus ipsam excogitari possent, plenissimè liberamus & quietamus*, ac tandem firmissimè præcavemus, non tantum spontaneam hanc Donationem sæpè memoratæ Civitati nulli unquam fore præjudicio, sed etiam has ipsas Centum & Octodecim Accisas, pariterque reliquas ex Laudo Contributionis in præsenti Conventu Generali sancito provenientes quinquaginta novem & viginti octo Accisas, ab eo statim momento in Civitate eadem currere non debere, neque postmodum ab illa quocunque prætextu exigendas esse, simul ac, quod DEUS avertat, milites seu externi, seu Regni aut Provinciæ hujus Domestici, Civitati Illi Ejusdemve Territorio, sive pecuniarum, sive stationum, sive annonæ, sive transitus, sive alio quovis titulo graves esse cœperint, & quicquam exegerint. Colligentur verò sub modo dictis Conditionibus memoratæ centum & octodecim Accisæ per Ratas quinq;. Prima Rata Accisarum numero octodecim incipiet à 1. Januarii anni proximè venturi 1714. curretque per integrum annum. Secunda Rata numero viginti quinque incipiet à 1. Januarii 1715. & per integrum annum curret. Tertia Rata numero viginti quinque incipiet à 1.

Januarii 1716. & curret per integrum Annum. Quarta Rata numero viginti quinque incipiet à 1. Januarii Anni 1717. curretque per Annum integrum. Quinta Rata numero viginti quinque incipiet à 1. Januarii Anni 1718. pariterque per integrum curret annum. In præmissorum fidem Sigillum harum Terrarum hiscè subappressum est. Actum & datum Mariæburgi in Conventu Generali die vigesima secunda Mensis Maji. Anno 1713.

No. 5.

LAUDUM,

Conquirendæ ad fidem publicam pecuniæ.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ Mariæburgi in Conventu Generali congregati Universis & Singulis præsentium notitiam habituris notum testatumq; facimus: Cum in moderno Conventu non tantum certam Contributionem laudaverimus, sed & à Civitate Gedanensi *Donum* aliquod *Gratuitum* intercesserit, & verò ex utroque Capite *tam prompta Collectio* pecuniarum fieri nequeat, quantam quidem præsentium temporum necessitates requirunt; Proinde inhærendo utrique Laudo Contributionis, & Doni Gratuiti Civitatis Gedanensis, Illustrissimo & Excellentissimo Domino Palatino Culmensi, *Thesaurario Terrarum Prussiæ*, Auctoritate præsentis Conventus facultatem dedimus *conquirendarum & accipiendarum mutuo in fidem Provinciæ publicam pecuniarum, ad proportionem tàm in præteritum quàm ad præsens laudatarum*

rum Contributionum, salvâ tamen provisione. Quas sic in fidem publicam conquisitas Summas, Idem Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Thesaurarius, ex Contributionibus & Dono Gratuito, *prout utrumque collectum fuerit*, in Thesaurum inferendis, unà cum Provisionibus ducta Proportione temporis solvere curæ habiturus est. In præmissorum fidem Sigillum harum Terrarum hisce subappressum est. Actum & datum Mariæburgi in Conventu Generali d. 22. Mensis Maji. Anno 1713.

No. 6.

Illustrissime, &c. &c.

QUæ Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ ratione certæ contra Civitatem hanc formatæ prætensionis, summam quadraginta millium florenorum efficientis, expeditis de data Varsaviæ nonâ mensis præsentis die literis, Præ Nobili Domino Carolo Ernesto Bauer, pro tempore Regio Burggrabio, Collegæ Nostro dilectissimo, exponere placuit, factâ nobis ab Eodem relatione plenius cognovimus. Cùm verò præter spem omnem atque expectationem intellexerimus, mentem Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ à genuinâ rei hujus conditione nimiùm quantum distare, svadet necessitas, ut cum Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ veniâ, sinceram præsentemque negotii hujus rationem, uti hactenus coram sæpissimè, ita nunc denuò, eo, quo par est, observantiæ cultu, perspicacissimo Illu-

ſtrisſimæ Excellentiæ Veſtræ judicio offeramus. Non poſſunt non Illuſtrisſimæ Excellentiæ Veſtræ eſſe notisſima, quæ in Generali Terrarum Prusſiæ Conventu Anno 1713. d. 22. menſis Maji Mariæburgi celebrato, intuitu Contributionum ab univerſâ hâc Provincia publicis Laudis ſancita fuere, imprimis quod ad Civitatem hanc ſpecialius attinet, quæ præter 87. Acciſas, ad quas ratione eorum, quæ ab Equeſtri Ordine laudata fuerunt, ſeſe obligavit, in vim Doni Gratuiti alias centum & octodecim Acciſas, atque hâc ratione 205. Acciſarum Summam, cujus exemplum anteriora non dederant tempora, in ſe ſuſcepit, adq; eas intrà ſexennium, prout collectæ fuerint, Theſauro Pruthenico inferendas ſeſe obſtrinxit. Expreſſe verò præcavit, ſicubi ipſa, vel bona ejus Patrimonialia, ullas à quibuscunque Copiis paterentur moleſtias, Curſum harum Acciſarum extemplo ſiſtendum fore. Quod ipſum Equeſtris pariter Ordo ſuam in rem ſibi tunc ſtipulatus eſt. Quamvis verò habito reſpectu, quod Miles Regni paratiori nummo indigeret, nec finem ſex annorum aut interea ſenſim colligendas pecunias expectare poſſet, Provincia conſenſerit, ut pro laudatis Contributionibus Numeratio quædam in anteceſſum, quam Prænumeratam vocant, apud privatos cum ſtipulatione uſurarum quæreretur, & prout ex Acciſis quid collectum foret, refunderetur, harum tamen conquirendarum pecuniarum cura nullatenus uni vel alteri hujus Provinciæ Civitati, atque adeò nec Gedanenſi, ſed ſolùm ex antiquisſima conſvetudine, Provinciæ hujus Domino Theſaurario impoſita fuit, utpote cui diſertisſima Laudi verba, *Facultatem NB. conquirendarum & accipiendarum mu-*

 tuò

tuò in fidem Provinciæ publicam pecuniarum NB. ad proportionem laudatarum Contributionum tribuerunt. Undè extrà controversiam planè omnem positum est, partim Civitatem hanc, ob onera militaria, gravissimasque, quas territorium ejusdem variè toleravit hospitationes, Accisarum istarum cursum optimo jure sistere potuisse, partim, cum habitâ boni publici consideratione, ex affectu planè singulari id tamen non fecerit, saltem plura ab eâdem postulare haud licuisse, quam ut solutionem quadrigentorum illorum millium florenorum, quos ad Assignationes Thesauri Prussiæ, ratione Accisarum modò dictarum, in se susceperat, prout ex braseo per braxatores penduntur, extraderet. Lubeat itaque Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ, gratiosissime recordari, quam expressis omninò verbis Deputati nostri in Colloquiis Anno 1713. Mariæburgi æque ac hic loci cum Senatoribus hujus Provinciæ institutis caverint, *ne Prænumerata illa Civitati huic ullo modo gravis fieret*, & quam certa Eisdem fides fuerit data, non defuturos privatos, qui, quamprimum Summa, quæ posteà, uti dictum, publico Laudo sancita est, a Deputatis nostris declarata foret, in antecessum eandem repræsentaturi essent. Nihilo secius Civitas propriâ potissimum operà, eo rem promovit, ut trecenta circiter florenorum millia, eum in modum sint numerata, quorum pars insignis jam Illlustrissimæ Excellentiæ Vestræ cessit, & residuum aliquot magnæ Dignitatis nominibusinscriptum, atque integrâ quadringentorum millium florenorum Summâ comprehensum, ut ordo tulerit, expectandum superest. Atque hic verus atque genuinus rei hujus est Status, quatenus idem ex Laudis publicis Conventus

Generalis Anni 1713. & à nobis circa eadem observatis, deduci atque explicari potest. Cum verò animadvertamus Illustrissimam Excellentiam Vestram ad specialem quandam Sibi à Nobis datam declarationem promissionemque provocare, vigore cujus reliqua quadraginta florenorum millia à nobis suppeditanda sint, lubentes agnoscimus, propter quàm plurimas easdemque gravissimas, in quibus Illustrissima Excellentia Vestra pro Salute publica hoc tempore occupatur, curas, Eidem integrum haut esse, omnium, quæ nobiscum conferre dignata est, nexum memoriâ servare, atque idcircò hujus pariter negotii summa capita, pace Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ observantissimè exponenda suscipimus. Quippe constantissimi nuntii Illustrissimum atq; Excellentissimum Dominum Supremum Exercituum Regni Ducem, non attentis rationibus à nobis evidentissimè expositis, firmiter persuasum sibi habere, quod Civitas hæc Obligationi ex Laudis sæpedicti Conventus Generalis sibi incumbenti satisfacere negligat, Nos commoverant, ut mense Martio hujus anni Illustrissimam Excellentiam Vestram hic præsentem conveniremus, Ejusdemque gratiosissimam opem in hâc causâ imploraremus. Fuit etiam nobis celebranda Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ æquanimitas, Deputatis nostris die 14. ejusdem Mensis benevolè significantis, *agnoscere Se nihil à Civitate hac intuitu Laudorum præter definitum iisdem Accisarum cursum exigi posse, & Summam quadringentorum octoginta millium florenorum ab Eâdem prætensorum ejus nomine nunquàm fuisse promissam, sed errorem in eo latere, quod assignatis in Civitatem pro Exercitu Regni tot Accisis, unius simplicis Accisæ æstimatio justum cal-*

calculum nimis excesserit, atque Illustrissimam Excellentiam Vestram pro munere Suo Senatorio Jura Provinciæ tuituram nihilque contra Civitatem suscepturam esse. Placuit verò postea Illustrisſimæ Excellentiæ Vestræ ultra acceptata quadringenta millia florenorum adhuc octoginta florenorum millia instantisſimè à nobis urgere, & cum ex parte Nostrâ expositum esset, Provinciam hanc nunquam in majorem pecuniarum quantitatem, nec aliam earundem restitutionem consensisse, quam quæ ex Contributionibus Laudo publico indictis proventura esset, & testari præterea experientiam, quod intra biennium proximè elapsum, vix quarta pars memoratarum Asſignationum relui potuerit, adeoque sperandum non esse, repertum iri privatos, qui plurium pecuniarum mutuum in se susciperent. Illustrisſima Excellentia Vestra equidem instituit, ut minimum *quadraginta millia florenorum ad satisfaciendum Illustrisſimo atque Excellentisſimo Domino Supremo Exercituum Regni Duci suppeditarentur*, utque prænumeratio eorum promoveretur, promissus fuit ab Illustrisſima Excellentia Vestra Generalis Terrarum Prusſiæ Conventus, Regio consensu per Eandem impetrando, propediem instituendus, ubi tot Contributiones ritè sciſci, & post exspirationem sexennii, cursui Accisarum Anno 1713. decretarum præfixi, initium capere deberent, quot ad supplendum defectum circa ultimas, ex causis supra indicatis, observatum sufficerent. Nos autem, quæ obstabant & considerari merebantur, dubia varia, ut par fuit exposuimus, atque cum obtinere non potuissemus ut, quæ à nobis prænumerandæ desiderabantur Summæ, ad Generalem illum Terrarum Prusſiæ Conventum, ab Illu-

ſtrisſima Excellentia Veſtra propoſitum, remitterentur, tandem declaravimus, operam omnem à nobis præſtitum iri, ut privati ad prænumerationem quadraginta millium florenorum perſvaderi poſſent. Cujus rei promovendæ cauſá, noſtris Acciſarum Præfectis commiſeramus, ut exhibitâ Suæ inſtructionis formulâ Creditores redderent certiores, curæ fore Civitati huic cum reliquis Provinciæ Ordinibus, in Generali Terrarum Prusſiæ Conventu, ex promiſſo Illuſtrisſimæ Excellentiæ Veſtræ propediem obtinendo, ut tot ſancirentur Acciſæ, quot opus adhuc eſſet, ad refundenda, tum quæ intuitu Acciſarum, vigore Laudorum Anni 1713. hîc loci currentium, maximâ jam ex parte in anteceſſum numerata eſſent quadraginta florenorum millia, tum quoque quadraginta illa millia florenorum ad fidem publicam recipienda, utque privati, ultimùm dictæ Summæ mutuum præſtituri, anteriores Creditores quadringentorum millium florenorum ordine proximo ſequerentur, atque ex noviter ita inſtitutis Acciſis ſolutionem acciperent. Quibus expreſſè adjecimus, ſpe indubiâ Nos niti, Illuſtrisſimam Excellentiam Veſtram nobis haut fore imputaturam, ſi fortè nec hac ratione ſcopus deſideratus obtineri poſſet, ſed benevolâ potius ope ſua præpedituram, ne inde Civitas hæc ullo modo aut prætextu cuipiam moleſtiæ involveretur. Quæ Declaratio diſtinctis verbis ſcripto expoſita, per Præ-Nobilem Dominum Præſidem hujus Civitatis cum Illuſtrisſimæ Excellentiæ Veſtræ Secretario Treiber d. 3. menſis Junii hujuſce Anni communicáta, ipſique præſente uno ex Secretariis Noſtris prælecta fuit. Habemus etiam nobis perſvaſisſimum, neminem nominari poſſe, qui Noſtro nomine præterea

quic-

quicquam ullo tempore promiſerit, quod ipſum ne in Noſtra quidem poteſtate poſitum fuiſſet. Quemadmodum verò ex ſuprà adductis genuinæ omnium, quæ hâc in Cauſâ inter Illuſtrisſimam Excellentiam Veſtram atque Nos acta ſunt, circumſtantiæ conſtant, & niſi vereremur eſſe moleſti, plurimis aliis argumentis probari poſſet, Ipſam Illuſtrisſimam Excellentiam Veſtram pro comperto habuiſſe, quod præter omnem, quæ proficiſci à nobis potuit, operam, ad aliud quidpiam præſtandum nullatenus nos obligaverimus, multo minus eventum aliquem in Nos ſuſceperimus: Ita quoque obligationi Noſtræ, quantum in nobis fuit, ſeriò atque ſincerè ſatisfecimus, ſtudiisque & officiis Noſtris indefesſis eo rem deduxeramus, ut adeſſent jam privati, mediam circiter partem deſideratorum ab Illuſtrisſima Excellentia Veſtra quadraginta millium florenorum mutuam ſub conditionibus præfatis daturi. Quod verò Illuſtrisſimæ Excellentiæ Veſtræ Secretarius pecunias iſtas ſæpius oblatas pro Eadem recipere detrectavit, atque interea, tum illi, qui in anteceſſum eas numerare parati jam erant, hoc rerum ſtatu, quo haut facile aliquis pecunias ſuas otioſas & ſine fructu detinet, ſed præſertim hoc anni tempore quam fieri optimè & citisſimè poteſt, commerciis impendit, conſultum ulterius non duxerunt, in ambiguo verſari, utrum easdem modo ſuprafato erogare poſſent, partim alii, quibus forte adhuc ad mutuum aliquod præſtandum animus fuiſſet, in eo obicem invenerunt, quod Generalis cujuſpiam in Provinciâ hâc Conventus, qui omnis Conventionis fundamentum eſſe, & minimum proximo menſe Auguſto effectum ſortiri debuerat, nulla ſpes appareret: Hæc omnia profecto ut mutarentur ſupra vires Noſtras fuit, nec proindè etiam Nobis ab Illuſtrisſimâ Excellentiâ Veſtrâ imputabuntur. Quin po-

tius

tius indubii, & omnis, quæ Nos decet, reverentiæ pleni confidimus, Illustrissimam Excellentiam Vestram, perpensa gratiosissimè verâ rei hujus indole, non solum justissimo suo testimonio asserturam esse, quod in subsidium Exercitus Regni, ac communis necessitatis, ab ipso initio, statim, plura longè, quàm per Lauda Provinciæ publica posci à nobis potuerunt, contulerimus, quodque porrò ad hæc usque tempora ne in minima quidem parte à gratuitis promissis Nostris recesserimus; Verùm etiam conceptam omnem adversus Nos opinionem sinistramque interpretationem aliorum, tàm efficaciter diluere dignaturam esse, nihi ut sit reliquum, undè difficultates aliquæ nasci possint, quarum authoribus ratio reddenda foret eventuum, quos habitura esset extorta præter votum Civitati huic, de nullâ re magis quàm de conservandâ tantoperè necessariâ concordiâ & tranquillitate sollicitæ, Defensio justissimæ suæ Deoque & Orbi universo probatissimæ causæ, certe in præsentium temporum ambiguis, diversa plane svadentibus, ad provocanda exterorum judicia uberem materiam præbitura. Dignata est sæpius Illustrissima Excellentia Vestra gratiosissimi sui affectus Nos facere certiores, Nosque hoc inprimis, quod nunc submississimis precibus rogamus, pro exploratissimo Ejusdem gratiæ argumento venera-turi, & quâvis occasione comprobaturi sumus, quanto zelo in id incumbere constituerimus, ut perpetim Summo Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ Patrocinio fruamur. Datum Gedani d. 17. Julii Anno 1715.

Inscriptio.

Illustrissimo & Excellentissimo Domino, Dn. Jacobo Sigismundo in Ribno Ribinski, Palatino Culmensi, Generali Rei Tormentariæ Regni Poloniæ Præfecto, Capitaneo Schonseen: Lepinscen: etc. etc. Domino Gratiosissimo.

No. 7.

Præ-Nobiles &c. &c.

CUm *pro faciliori satisfactione Illustrissimi atque Excellentissimi Domini Supremi Exercituum* Re*gni Ducis, æque ac militis Reipublicæ*, ad rationem residuarum apud Civitatem Gedanensem Accisarum, prout Anno 1713. Laudo publico sancitæ fuerunt, Illustrissimo atque Excellentissimo Domino Generali Campi Mareschallo, Comiti de Fleming, Assignationes *Summam quadraginta millium florenorum monetæ Pruthenicæ efficientes* extradiderim, mihique ab altè dicto Illustrissimo atque Excellentissimo Domino Generali Campi Mareschallo, *similis Summæ solutio jam præstita sit*, intermittere nolui, quin Præ Nobilibus Dominationibus Vestris id notum facerem. Proinde Præ-Nobiles Dominationes Vestras officiose rogo, velint vicissim acceptationem & solutionem præfatarum Assignationum curare. Cœterùm certo sibi persvadeant, me quâvis occasione testaturum, quam sincero affectu sim

Præ Nobil. Dominationum Vestrarum

Varsaviæ d. 6. Aug.
1715.

ad officia paratissimus
J. S. Ribinskj.

Errata.

Pag. 2. lin. 8. leg. plenisſime
— ead. poſt lin. ult. loco hanc leg. ratio
— 9. lin. 8. leg. Provinciæ
— 11. lin. 1. loco gaudentes leg. dentes
— 12. lin. 4. leg. reprimerent
— 15. lin. 10. leg. conſenſione
— 24. lin. 8. leg. relinquentes
— 51. lin. 4. leg. Illuſtrisſimum